MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80397-19

AUTHOR:

TEUFER, JOANNES

TITLE:

DE HOMERO IN APOPHTHEGMATIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

1890

Master Negative #

91-80397-19

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Teufer, Joannes, 1865-

De Homero in apophthegmatis usurpato. Dissertatio inauguralis quam ... scripsit Joannes Teufer ... Lipsiae, typis O. Brandstetteri, 1890.

47 p. 21½ cm.

Thesis, Leipzig.

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 mm REDUCTION RATIO: 11x

IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB

DATE FILMED: 12-26-91 INITIALS ER

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

in dankbarer Verehrung
der Verfasser.

DE HOMERO
IN APOPHTHEGMATIS USURPATO

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

PHILOSOPHORUM ORDINE LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOANNES TEUFER

MISNENSIS

LIPSIAE

TYPIS O. BRANDSTETTERI

MDCCCXC

CURTIO WACHSMUTH

SACRUM

Caput I.

Cynicorum maxime consuetudinem fuisse in Homero ludendi.

Homeri versus facetiis usurpare atque detorquere maxime Cynicorum proprium fuisse primum apparet ex ipsa dictorum collectione. Nam non solum primitiae — paucissimis exemplis exceptis — in Antisthenis fere aetatem incidunt, sed etiam quod attinet ad numerum et artem dictorum, perlustrantes auctorum nomina et perpendentes elegantiam leporemque apophthegmatum facile vel hinc concludemus hac facetiarum ratione Cynicos praeter ceteros valuisse. At etiam veteres ipsi ludendi in Homero consuetudinem disciplinae Cynicae peculiarem agnovisse videntur. Testis est Lucianus, qui non solum Menippum, quem summopere veneratur, in libris suis semper versus Homericos laudantem inducit (id enim facile quispiam ex sola satira Menippea ductum esse contenderit), verum etiam ubi acerbissime in Cynicos invehitur, in Drapetis, servos illos, quos ceteroquin veros illius philosophiae asseclas depingere studet, Homeri versus in convicia vertentes fingit cf. Drapet. 30. Etiam quod Plutarchus narrat in vita Bruti c. 34 M. Favonium senatorem, qui *τῷ κυνικῷ τῆς παρρησίας πολλάκις ἀφῄρει τὴν χαλεπότητα* etc., invocatum in conclave Bruti et Cassii irrupisse proclamantem versus Iliadis A 259 sqq, a Bruto autem *ἁπλόκυνα* et *ψευδόκυνα* esse nominatum, et ista maledicta et maxime illud *τῷ κυνικῷ τῆς παρρησίας* non modo ad Favonii procacitatem, verum etiam ad ipsam exclamationem Cynicorum more ex Homero depromptam referenda videntur. Neque minus haec animadvertenda sunt, quod et Plut. de cupid. divit. 9 ex Socratis vel Diogenis sententia ipse Homeri vv. δ 74 sq in ridiculum deflectit[1]) et Chaereas ille, quem Diogenis dicendi

---

[1]) Demonstrans hominibus imperitis ac rudibus non tam res utiles atque necessarias placere et arridere quam res splendidas et ad luxuriam pertinentes, veluti Telemachus non laudaverit Nestoris domum utilium rerum copia instructam, Menelai autem conspicatus ebur, aurum, electrum attonitus exclamaverit: (δ 74 sq)

'Ζηνός που τοιήδε γ' Ὀλυμπίου ἔνδοθεν αὐλή,
ὅσσα τάδ' ἄσπετα πολλά . σέβας μ' ἔχει εἰσορόωντα'

Plutarchus addit: *Σωκράτης δ' ἂν εἶπεν ἢ καὶ Διογένης· 'ὅσσα τά γ' ἄθλια πολλά (καὶ ἄχρηστα καὶ μάταια). γέλως μ' ἔχει εἰσορόωντα.'*

libertatem aemulatum esse Philo Judaeus narrat, in Homerico versu ludens producitur (v. nr. 63).

Quod si jam inter nos convenit praesertim apud Cynicos illud facetiarum genus excultum ab iisque latius divulgatum esse, etiam causas huius rei breviter repetere operae pretium erit. Primum quidem nemo ignorat Cynicorum studium commode ac subtiliter dicendi et dictis suis aut ambiguitate verborum aut aliis ludis summum leporem sive ludibrium immiscendi (cf. Wachsmuth, sillogr. Gr. rel. p. 71 sq). Qua in ratione dicendi cum omnino summopere delectarentur usurpandis deflectendisque proverbiis[1]) et poetarum versibus (cf. Wachsm. l. l. p. 70), nullus poeta aptior eis videri potuit, cuius versibus jocos suos vestirent, quam Homerus, in quo ipsi summo studio versati erant (cf. Duemmler, Antisthenica p. 16 sqq) et cuius carmina a pueris ediscebantur et in omnium ore erant similiter atque apud nos cuiusvis fere ordinis homines multas divinorum librorum sententias ad verbum memoria tenent. Quare etiam manifestum est non novum genus facetiarum Cynicos excogitasse, quippe quod cum parodorum epicorum ratione Homerum in ludibrium transferendi arte cohaereat: immo cum sermoni cottidiano se accommodare studerent, etiam illam rationem ludendi suam fecerunt; quam quia non modo in usu communi creberrime adhibuerunt, verum etiam in philosophiam et in litteras induxerunt (cf. p. 6 fin.), nostro jure proprios istarum facetiarum auctores et cultores eos significabimus.

Jam hoc quoque breviter circumspiciamus, qui alii viri Homerum praeter Cynicos in apophthegmatis maxime usurpaverint: unde etiam hic nobis fructus exsistet, ut cognoscamus et quam pervulgata in omnes hominum ordines Homeri carmina fuerint et ut nunquam grata atque jucunda esse desierint, cum aliorum poetarum studium atque amor per singula temporis spatia in magna versaretur inconstantia. Atque primum quidem multi philosophorum versus Homericos magnis in deliciis habebant[2]) sive ad sententias philosophicas maximeque morales exprimendas urbane eis utebantur veluti Theano, Socrates, Demetrius Phalereus[3]), sive in vita cottidiana in Homeri verbis ludebant, sic plerique Socratici ut Plato, Aristoteles, Aristo Peripateticus, Cleanthes et Aristo Stoici, Carneades Academicus, alii. Deinde eadem ars lepide Homerum adhibendi omnino a viris eruditis eisdemque facetis non aliena erat: itaque inter apophthegmatum auctores celebrata quaedam

---

[1]) Cf. L. D. VI, 4 = Stob. flor. XIV, 17; Stob. ecl. II, 31, 88 (ed. W. II, 216, 14 sqq) = flor. 'Joan. Damasc.' 88.

[2]) Reminiscaris, quot philosophi scriptis suis versus Homericos inseruerint, cf. Wachsm. l. l. p. 38.

[3]) Hermippus — nisi fallor Callimacheus, a cuius aetatis studiis ejusmodi *συναγωγαί* minime abhorrebant — sententias ex Homero eleganter laudatas in proprium libellum contulit, vide titulum Stob. flor. V, 59: *ἐκ τῆς Ἑρμίππου συναγωγῆς τῶν καλῶς ἀναφωνηθέντων ἐξ Ὁμήρου.*

dicacissimorum hominum nomina recurrunt: Simonidis nr. 69; Stratonici citharoedi, quem Ephorus *ἐν δευτέρῳ π. εὑρ.* ap. Athen. VIII p. 352 c aemulatorem Simonidei leporis vocat, nr. 18—21. 55; Theocriti sophistae, cuius dicteria magis acerbitate quam festivitate imbuta fuisse videntur, nr. 48. 50; Philoxeni Pternocopidis parasiti[1]), qui quantum apud aequales floruerit facetiarum gloria, Lynceus ap. Athen. VI p. 242 b. c testatur, nr. 54. Nihil refert ceteros nominatim proferre, inter quos posterioris aetatis sophistae excellunt (cf. nr. 40—42 al.). Quaedam ludibria, quorum ne veteres quidem ipsi certos auctores noverant, in usum communem transierant et paene proverbiorum modo laudabantur, cf. nr. 35—37. Plurima autem etiam ex principum magnorumque virorum vitis apophthegmata, quae facilius memoriae prodebantur, servata sunt. Quod non solum de Graecorum ducibus valet, sed etiam de Romanis, quicunque Homeri carmina memoria complectebantur. Atque praesertim complurium imperatorum Romanorum, ut scimus in eorum aula Homeri studium inter omnes poetas Graecos minime neglectum fuisse[2]), dicta ex Homero petita exstant, quae summam auctorum indicant urbanitatem: Augusti nr. 77; Claudii cf. nr. 39; Galbae nr. 7; Vespasiani nr. 30. Denique etiam quaedam inferioris ordinis hominum dicta (cf. Wachsm. l. l. p. 49 lin. 28 sqq) traduntur, quamquam nimirum pauciora ejusmodi exempla quam virorum magnorum ad memoriam nostram pervenerunt (nr. 68; cf. nr. 62. 39 fin.). Haud

---

[1]) Cum joci atque belle dicta inter usitatas conviviorum voluptates referrentur, quibus maxime parasitorum munus erat convivarum animos oblectare (cf. Ribbeck, Kolax p. 36), ad ipsas epulas compluria spectant apophthegmata: Simonidis, Philoxeni, Epicurei anonymi nr. 28; cf. etiam nr. 27.

[2]) Dio Cass. LXIX, 4, 6: *καὶ οὕτω γε τῇ φύσει τοιοῦτος ἦν* (Hadrianus) *ὥστε μὴ μόνον τοῖς ζῶσιν, ἀλλὰ καὶ τοῖς τελευτήσασι φθονεῖν· τὸν γοῦν Ὅμηρον καταλύων Ἀντίμαχον ἀντ' αὐτοῦ ἐσῆγεν, οὗ μηδὲ τὸ ὄνομα πολλοὶ πρότερον ἠπίσταντο*: quibus e verbis efficitur Homerum inter aulicos, ut ita dicam, poetas carissimos et lectissimos fuisse. Quocum congruit, quod a permultis imperatoribus, etsi ipsa dicacitate carebant, tamen laudatum Homerum invenimus. Caligula quidem, etsi quodam tempore de Homeri carminibus abolendis cogitavit (Suet. Cal. 34), alias insolentia furens Jovem aemulatus, cum fulgur de caelo deferebatur, lapidem sublimem emittebat his usus verbis (*Ψ* 724): '*ἤ μ' ἀνάειρ' ἢ ἐγὼ σέ*' (Dio Cass. LIX, 28, 6; Suet. Cal. 22, ibidem cf. alium Homeri versum a Caligula usurpatum). Deinde Claudium, philologum illum imperatorem, multum Homericis versibus locutum esse Suet. Claud. 42 testatur neque minus ex Senecae apocolocyntosis saturae ludificatione apparet. Nero jam moriturus Homerum laudasse fertur (Suet. Nero 49); Domitianus et serio (Suet. Domit. 12) et jlocaliter (ib. 18) Homeri versus adhibuit. Non magis scilicet eorum, qui sequebantur, imperatorum animi ab Homero aversi erant, veluti Septimius Severus (Dio Cass. LXXVI, 15, 1) iterata Britannorum seditione iratus his versibus milites ad summam crudelitatem adhortatus esse fertur (cf. Z 57 sqq)

'*τῶν μή τις ὑπεκφύγοι αἰπὺν ὄλεθρον*
χεῖράς θ' ὑμετέρας, μηδ' ὅντινα γαστέρι μήτηρ
κοῦρον ἐόντα φέροι, μηδ' ὃς φύγοι αἰπὺν ὄλεθρον.'

scio an huc etiam cadant convicia illa Homerica, quae a civibus Antiochensibus in imperatorem Jovianum jactabantur et tamquam litterae minaces aut parietibus affingebantur aut in solum diffundebantur, ut a quolibet legerentur (nr. 64).

Quod attinet ad temporis spatium, quo illud genus ludendi valuerit, meae collectionis ultimum dictum, quod quidem certo tempori assignare liceat, ex initio sexti p. Chr. n. saeculi est (nr. 58); sed etiam Eustathii aetate Homerum dictis usurpari non desiisse ex ejus verbis cognoscimus ad o 373 p. 1784, 50: *ὁποῖα καὶ ἕτερα τῶν Ὁμήρῳ σεμνῶς λεχθέντων ἄλλως ἐκληφθέντα ὡς ἐπὶ θυμέλης ἐπαίχθησάν τε καὶ εἰςέτι δὲ παίζονται* (cf. nr. 76).

Caput II.

De fide apophthegmatum.

Priusquam de ipsis facete dictorum generibus disputem eorumque rationes exponam, de fide eorum nonnulla hoc loco praemittenda sunt. Atque primum quidem cum hoc mihi solum proposuerim, ut ea conferrem et tractarem dicta, quae apophthegmata absoluta neque in oratione perpetua prolata sint, nihil curans neque poetarum parodias neque eos versus Homericos, quos permulti veterum scriptorum veluti Plato, Plutarchus, Lucianus, Athenaeus, alii orationi pedestri non raro magna cum subtilitate immiscuerunt, tamen fieri non poterit, ut susceptum consilium utique teneam. Diligentius enim nos de apophthegmatum, quae traduntur, origine inquirentes non fugiet nonnulla e scriptis eorum, quibus tribuuntur, ita excerpta esse, ut non jam in orationis contextu, sed absolute edita legamus.[1]) Quod quibusdam exemplis ad oculos demonstratur, de aliis summa cum probabilitate suspicari licet. Aristotelis quidem de Atheniensium sycophantia ludibrium (nr. 51) sive ex defensione Aristotelis (cuius tamen auctoritatem suo jure in dubitationem vocare mihi videtur Zeller, hist. philos. Gr. II^{3}, 2 p. 38 adn. 2), id quod Favorinus testatur ap. Laert. Diog. V, 9, sive ex epistola ejus ad Antipatrum missa sumptum erat, ut Ammonius tradit. Ipsa ratio, qua ista transfiguratio fiebat, perspicua est ex Platonis verbis ap. Plut. v. Dion. 18: *οὕτω μὲν δή φησιν ὁ Πλάτων ἐλθεῖν τὸ τρίτον εἰς τὸν πορθμὸν τὸν περὶ Σικελίαν,* (*μ* 428) '*ὄφρ' ἔτι τὴν ὀλοὴν ἀναμετρήσειε Χάρυβδιν,*' quae ex Plat. epist. VII p. 345 E ita delibata sunt, ut

[1]) Cf. Hense, Telet. reliqu. p. LXXXIII; Duemmler, Antisth. p. 71; Sternbach ed. gnom. Vat. ad nr. 65.

facile quispiam solutum dictum[1]) Platonis exstare putaverit, nisi praesens *φησί* veram originem moneret. Eadem de causa quod Strabo laudat Eratosthenis de Bione dictum (nr. 59), ex illius scriptis excerptum esse concludendum est.

Quamquam dictorum fontem non semper detegere possumus, tamen saepius eadem ratio valere videtur maximeque in iis apophthegmatis, quae ad philosophiam pertinent. Philosophiae enim doctrina ipsa minus praebet occasionem nuda apophthegmata fundendi, sed pleniorem disputationem desiderat, quam sane facile facetiarum lepore tamquam sale perspergebant. Itaque ut omnino quae placita philosophorum traduntur, ex amplioribus orationibus rerum summa electa esse solent, sic ne Socratis quidem vel Demetrii dicta (nr. 44. 45) per se absolute edita, sed in uberioribus, quas de philosophiae proposito et de temperantia dederint, explicationibus prolata esse ponendum est. Non aliter de Cynicorum quibusdam dicteriis philosophicis res sese habet. Quod enim Duemmler l. l. p. 71 suspicatur multa in chriarum formam redacta esse, quae perpetua oratione scripta exstiterint, de Antisthenis et Diogenis apophthegmatis nr. 40 et 70 ex ipso argumento non est in dubio, quin pariter deformata sint. Unum tamen eadem praecipuum habent, quod verisimillimum est ab ipsis, quibus assignantur, revera ea profecta esse, cf. p. 6.

Tam incertis originibus cum inter vera apophthegmata et facetias orationi aliquando immixtas saepius certo discerni nequeat, in tractanda tamen materia certos terminos constitui opus sit, ad eos versus quaestiuncula mea pertinebit, qui dicteria nuda memoriae proditi sunt, etiamsi ex orationis contextu eos sumptos esse concedendum sit.

Altera etiam difficilior quaestio est de ipsis apophthegmatum auctoribus. Nam etiam facilius quam fabellae istae a posteris confictae, quarum tanta copia in magnorum virorum vitis a scriptoribus maximeque a Peripateticis pro veris reddebatur, belle dicta supponi poterant, in quibus excogitandis grammatici ipsorum acumen exercebant. Non possumus nimirum de unoquoque apophthegmate dijudicare, cum nunquam fere primarium fontem, ad quem quodque redeat, investigare liceat: nihilominus quaedam rationes generales statuendae videntur.

Atque primum quidem interdum ipsa dictorum argumenta ansam quandam judicandi nobis praebent. Neque enim iis, qui dicteria com-

[1]) Nimirum Plato non ex ipsa Scylla et Charybdi perniciem timet, quippe quarum pericula ne veteres quidem aliter experta habuerint nisi e poetarum descriptionibus, sed istis verbis alludens tangit insidias atque pericula, quae et antea in Siciliam profectus obierat et denuo sibi apud tyrannum eventura suspicatur. Attenuatur et occupatur acumen, quod sub verbis *τὴν ὀλοὴν Χάρυβδιν* latet, si antecedit *τὸν πορθμὸν τὸν περὶ τὴν Σκύλλαν,* quod in Platonis epistola legimus. Itaque mihi potius in epistola ex Plutarcho restituendum videtur *περὶ τὴν Σικελίαν,* quam ut cum Plutarchi editoribus epistolae scripturam in Dionis vita substituam.

miniscebantur, semper prospere res successit non satis respicientibus ipsas condiciones, quibus apophthegmata adaptabant; itaque quaedam per se speciem falsi prae se ferunt. Illud quidem, quod Aristophani vindicatur (nr. 17), nemo infitiabitur ex grammatici cuiusdam ingenio profluxisse, qui comico poetae etiam apud judices facetias optime convenire putaret: causae ipsi male accommodatum est. Quamquam enim jam veteres interpretes in incerto relinquebant, quibus in argumentis posita fuisset ista γραφὴ ξενίας, quam Cleon Aristophani poetae intenderet, tamen consentiunt propter patriam aut Aristophanis aut patris Philippi adversarios civitatem in dubitationem vocasse (cf. Schrader, in Philol. XXXVI p. 393 sq): cui rei hoc dictum non bene respondet.[1] Si enim cum scriptore vitae Aristophanis urguemus ob illud ipsum facete dictum poetam periculo liberatum esse, illud responsum ad ipsam disquisitionem aliquanti momenti fuisse necesse est. Quod ita tantum fieri potuit, ut non de patria, ex qua sive Aristophanes sive pater ejus natus esset, sed de ipso comici patre adversarii inquirerent. Quod si Cleon Aristophanem non ex eo (nempe Atheniensi), qui pater perhibebatur, sed ex alio (nempe peregrino) genitum accusaverit, facete ille matris testimonium proferre potuit, quo sane certius argumentum non habebat. Similiter de quibusdam dictis existimandum videtur, quae ad rerum historiam pertinent. Velut si in rebus gestis successum quendam ex alicuius dicacitate repetendum esse opinabantur, optima data erat occasio ipsorum ingenium venditandi, cum revera ad longe alias causas eventus illi referendi essent. Equidem nullo modo mihi persuadere possum aut Philippi regis animum astutum suaeque semper utilitati servientem Demadis urbanitate ad dimittendos captivos commotum esse (nr. 1) aut Antigonum uni legati dicterio cessisse (nr. 3) aut etiam Mummium satis humanum facetiarumque studiosum fuisse, ut pueri Corinthii elegantiam tam generose remuneraretur (nr. 4).

Sed praeter haec singula exempla cum quodam dolore etiam magna copia Cynicorum belle dictorum in dubitationem adducenda videtur. Disjungenda enim sunt Cynicorum dicteria ad philosophiam spectantia, quibus placita versuum ornamento vestiebantur, et apophthegmata in rebus cottidianis edita: illa, ut jam supra vidimus, non nuda dicteria prolata, sed in scriptis immixta fuisse verisimile est itaque procul dubio facile ad ipsos, quibus tribuuntur, auctores redeunt; haec omnino minus idonea erant, quae ipsis auctoribus vivis litteris mandarentur eoque modo posteris servarentur, itaque cum memoria aliquamdiu traderentur, facillime adulterari poterant. Cum autem celeberrima Cynicorum maximeque Diogenis dicacitas haud paucos incitaret, ut ipsi sub illius nomine chrias et facete dicta excogitarent,

[1]) Item video de istis facetiis etiam Brielum 'de Callistrato et Philonide' p. 42 judicasse, qui omnino Aristophanem a Cleone peregrinitatis unquam accusatum esse negat l. l. p. 34 sqq.

non est mirum, quod in chriarum et apophthegmatum collectiones, quae temporibus ipsum Diogenem sequentibus permultae componebantur (cf. Duemmler l. l. p. 70), multa irrepserunt falso Diogeni subdita. Diserte hoc prolocutus est Dio Chrysostomus or. LXXII p. 386 R: καὶ τὰ μὲν τούτου (Diogenis) καὶ διαμνημονεύουσιν οἱ πολλοί, τὰ μέν τινα ἴσως εἰπόντος αὐτοῦ, τὰ δὲ καὶ ἄλλων συνθέντων. Ex iis quidem γελοίων ἀπομνημάτων collectionibus, quibus Laertius ad conscribendam Diogenis Cynici vitam usus est, cognoscimus tamquam in officinis acervatim dicteria fabricata esse. Neque enim solum eaedem semper formulae repetuntur: ἰδών ποτε, ἐρωτηθείς, θεασάμενος — ἔφη, sed etiam argumenta ipsa istam officinae operam quodammodo redolent. Nam omnia fere aut in rebus universis versantur neque ad philosophiam neque ad certam vitae condicionem pertinentia neque omnino hominum nominibus allatis aut tales necessitudines tangunt, quae a posteris Cynicorum sectatoribus veluti ab auctore epistolarum Cynicarum[1]) maxime excolebantur atque celebrabantur. Inter elegantissimos saltem jocos ex Homero petitos, qui Diogenis nomen ferunt, ad Antipatrum spectat nr. 12 (ad eundem ex epistolis Diogenianis datae sunt IV. XIV. XV); ad Alexandrum, cuius cum Diogene consuetudo varie a scriptoribus Graecis et Romanis exornata est[2]) (ad eundem Diogenis epistolae (XXIII). XXIV. XL), pertinet nr. 16; ad Platonem, cuius disciplinae libenter Diogeniana opponebatur (cf. epist. XLVI), nr. 13. Etiam captivitas Diogenis, quam nr. 9 attingit, inter locos communes historiae Diogenianae erat, quod illustrissimum testimonium laudabant, quanta animi constantia in omnibus vitae condicionibus germanus esset Cynicus (eadem tractatur Cratetis in epistola XXXIV).

Quae cum ita sint, non potest mirum esse, quod pervulgata quaedam apophthegmata, quae aliis auctoribus a quibusdam addicebantur, simul in Cynicos translata videmus. Sic Diogenis in purpurarium deprensum ludibrium (nr. 47) Eustathius ad E 83 p. 524, 46 non inepte ita formatum legisse videtur, ut ipse purpurarius ad supplicium ductus Sardonio risu in se jocaretur. Deinde idem dictum 'μάστιξεν ἐλάαν' (nr. 54), quod apud Athenaeum Philoxeno parasito assignatur, a Laertio Diogeni Cynico vindicatur cum altero simillimo apophthegmate conjunctum. Cum omnino suspecta videantur duo ejusdem viri dicta eadem occasione edita, in his saltem non dubito, quin scriptor aliquis confuderit diversa duo dicta, quorum Euripideum illud 'ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο', quod qua condicione prolatum sit, multo accuratius quam Laertius refert Stobaeus flor. XVII,

[1]) Epistolas, quae sub Diogenis et Cratetis nomine feruntur, primo p. Chr. n. saeculo compositas esse planum fecit Marcks, symb. crit. ad epistologr. Gr., Bonnae 1883.

[2]) Cf. E. Weber 'de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' in stud. Lips. X, 1887 p. 154.

miniscebantur, semper prospere res successit non satis respicientibus ipsas condiciones, quibus apophthegmata adaptabant; itaque quaedam per se speciem falsi prae se ferunt. Illud quidem, quod Aristophani vindicatur (nr. 17), nemo infitiabitur ex grammatici cuiusdam ingenio profluxisse, qui comico poetae etiam apud judices facetias optime convenire putaret: causae ipsi male accommodatum est. Quamquam enim jam veteres interpretes in incerto relinquebant, quibus in argumentis posita fuisset ista *γραφὴ ξενίας*, quam Cleon Aristophani poetae intenderet, tamen consentiunt propter patriam aut Aristophanis aut patris Philippi adversarios civitatem in dubitationem vocasse (cf. Schrader, in Philol. XXXVI p. 393 sq): cui rei hoc dictum non bene respondet.[1] Si enim cum scriptore vitae Aristophanis urguemus ob illud ipsum facete dictum poetam periculo liberatum esse, illud responsum ad ipsam disquisitionem aliquanti momenti fuisse necesse est. Quod ita tantum fieri potuit, ut non de patria, ex qua sive Aristophanes sive pater ejus natus esset, sed de ipso comici patre adversarii inquirerent. Quod si Cleon Aristophanem non ex eo (nempe Atheniensi), qui pater perhibebatur, sed ex alio (nempe peregrino) genitum accusaverit, facete ille matris testimonium proferre potuit, quo sane certius argumentum non habebat. Similiter de quibusdam dictis existimandum videtur, quae ad rerum historiam pertinent. Velut si in rebus gestis successum quendam ex alicuius dicacitate repetendum esse opinabantur, optima data erat occasio ipsorum ingenium venditandi, cum revera ad longe alias causas eventus illi referendi essent. Equidem nullo modo mihi persuadere possum aut Philippi regis animum astutum suaeque semper utilitati servientem Demadis urbanitate ad dimittendos captivos commotum esse (nr. 1) aut Antigonum uni legati dicterio cessisse (nr. 3) aut etiam Mummium satis humanum facetiarumque studiosum fuisse, ut pueri Corinthii elegantiam tam generose remuneraretur (nr. 4).

Sed praeter haec singula exempla cum quodam dolore etiam magna copia Cynicorum belle dictorum in dubitationem adducenda videtur. Disjungenda enim sunt Cynicorum dicteria ad philosophiam spectantia, quibus placita versuum ornamento vestiebantur, et apophthegmata in rebus cottidianis edita: illa, ut jam supra vidimus, non nuda dicteria prolata, sed in scriptis immixta fuisse verisimile est itaque procul dubio facile ad ipsos, quibus tribuuntur, auctores redeunt; haec omnino minus idonea erant, quae ipsis auctoribus vivis litteris mandarentur eoque modo posteris servarentur, itaque cum memoria aliquamdiu traderentur, facillime adulterari poterant. Cum autem celeberrima Cynicorum maximeque Diogenis dicacitas haud paucos incitaret, ut ipsi sub illius nomine chrias et facete dicta excogitarent,

[1]) Item video de istis facetiis etiam Brielum 'de Callistrato et Philonide' p. 42 judicasse, qui omnino Aristophanem a Cleone peregrinitatis unquam accusatum esse negat l. l. p. 34 sqq.

non est mirum, quod in chriarum et apophthegmatum collectiones, quae temporibus ipsum Diogenem sequentibus permultae componebantur (cf. Duemmler l. l. p. 70), multa irrepserunt falso Diogeni subdita. Diserte hoc prolocutus est Dio Chrysostomus or. LXXII p. 386 R: *καὶ τὰ μὲν τούτου* (Diogenis) *καὶ διαμνημονεύουσιν οἱ πολλοὶ, τὰ μέν τινα ἴσως εἰπόντος αὐτοῦ, τὰ δὲ καὶ ἄλλων συνθέντων.* Ex iis quidem *γελοίων ἀπομνημάτων* collectionibus, quibus Laertius ad conscribendam Diogenis Cynici vitam usus est, cognoscimus tamquam in officinis acervatim dicteria fabricata esse. Neque enim solum eaedem semper formulae repetuntur: *ἰδών ποτε, ἐρωτηθείς, θεασάμενος — ἔφη*, sed etiam argumenta ipsa istam officinae operam quodammodo redolent. Nam omnia fere aut in rebus universis versantur neque ad philosophiam neque ad certam vitae condicionem pertinentia neque omnino hominum nominibus allatis aut tales necessitudines tangunt, quae a posteris Cynicorum sectatoribus veluti ab auctore epistolarum Cynicarum[1]) maxime excolebantur atque celebrabantur. Inter elegantissimos saltem jocos ex Homero petitos, qui Diogenis nomen ferunt, ad Antipatrum spectat nr. 12 (ad eundem ex epistolis Diogenianis datae sunt IV. XIV. XV); ad Alexandrum, cuius cum Diogene consuetudo varie a scriptoribus Graecis et Romanis exornata est[2]) (ad eundem Diogenis epistolae (XXIII). XXIV. XL), pertinet nr. 16; ad Platonem, cuius disciplinae libenter Diogeniana opponebatur (cf. epist. XLVI), nr. 13. Etiam captivitas Diogenis, quam nr. 9 attingit, inter locos communes historiae Diogenianae erat, quod illustrissimum testimonium laudabant, quanta animi constantia in omnibus vitae condicionibus germanus esset Cynicus (eadem tractatur Cratetis in epistola XXXIV).

Quae cum ita sint, non potest mirum esse, quod pervulgata quaedam apophthegmata, quae aliis auctoribus a quibusdam addicebantur, simul in Cynicos translata videmus. Sic Diogenis in purpurarium deprensum ludibrium (nr. 47) Eustathius ad E 83 p. 524, 46 non inepte ita formatum legisse videtur, ut ipse purpurarius ad supplicium ductus Sardonio risu in se jocaretur. Deinde idem dictum '*μάστιξεν ἐλάαν*' (nr. 54), quod apud Athenaeum Philoxeno parasito assignatur, a Laertio Diogeni Cynico vindicatur cum altero simillimo apophthegmate conjunctum. Cum omnino suspecta videantur duo ejusdem viri dicta eadem occasione edita, in his saltem non dubito, quin scriptor aliquis confuderit diversa duo dicta, quorum Euripideum illud '*ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο*', quod qua condicione prolatum sit, multo accuratius quam Laertius refert Stobaeus flor. XVII,

[1]) Epistolas, quae sub Diogenis et Cratetis nomine feruntur, primo p. Chr. n. saeculo compositas esse planum fecit Marcks, symb. crit. ad epistologr. Gr., Bonnae 1883.

[2]) Cf. E. Weber 'de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' in stud. Lips. X, 1887 p. 154.

16[1]), ab initio Cynici nomen gesserit, alter jocus per se magis parasito quam Cynico aptus ut aliud simile dicterium scriptori in mentem venerit, quod, cum nomen auctoris aut nesciret aut non meminisset, bona fide eidem Diogeni attribuerit. Simili quodam modo factum esse credo, quod quidam Metrocli Cynico ap. Laert. Diog. VI, 95[2]) eundem versum vindicaverunt, qui alias Platoni addicitur. Cum enim dictum *'Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε, (Θέτις) νύ τι σεῖο χατίζει'* in omnes quadraret, quicunque scripta sua flammis erant injecturi, non veriti sunt etiam Metrocli Cynico supponere, qui cum Peripateticis relictis ad Cynicorum partes transgrederetur, quae in Theophrasti schola conscripsisset, igne delevisse ferebatur.

Alia scilicet res est, quod non raro facete dicta in ipsa philosophia adhibita aut magistro simulque ejus discipulo (cf. nr. 44. 46) aut omnino variis ejusdem disciplinae asseclis tribuuntur: illa enim tamquam per successionem tradebantur, haec qua ratione ad alios transierint, Bionis insigni exemplo exposuit Duemmler l. l. p. 69 et 70, cf. etiam Telet. rel. p. XLIII ed. Hense.

Caput III.

Partitio.

Jam ad ipsa apophthegmata transeamus eaque in sua genera discribere atque explanare conemur. Videbimus enim in magna multitudine ejusmodi dictorum certas quasdam rationes discerni posse, quibus versus Homericos lepide adhibuerint vel in ludibrium verterint. Qua in re mihi haec placuit partitio, ut primum proferam ea exempla, quibus Homeri versibus integris facete dictum efficiatur ex condicione atque occasione, qua laudent Homerum; deinde illas facetias, quibus sal nascatur ex duplici cuiusdam vocis notione, ut alius sensus Homeri verbis exprimatur atque quem poeta adhibuerit; postremo illas, quibus Homeri verba mutata ac detorta sint et ludibrium exsistat deceptis audientium opinionibus, qui secundum Homerum alia se accepturos exspectaverint.

Tractaturus eos locos, quibus tota condicio, qua versus Homerici integri laudantur, facete dictum efficiat, non prorsus supersedeam

---

[1]) *ὁ Διογένης καθαρὸν λαβὼν ἄρτον ἐξέβαλε τῆς πήρας τὸν αὐτόπυρον εἰπών· 'ὦ ξένε'* etc.

[2]) *οὗτος* (Metrocles) *τὰ ἑαυτοῦ συγγράμματα κατακαίων, ὥς φησιν Ἑκάτων ἐν πρώτῳ χρειῶν, ἐπέλεγε· 'τάδ' ἔστ' ὀνείρων νερτέρων φαντάσματα', οἱ δ' ὅτι τὰς Θεοφράστου ἀκροάσεις καταφλέγων ἐπέλεγε· 'Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε'* etc. Animadvertendum est, quod etiam hoc loco duo dicta de eadem occasione referuntur.

magna multitudine eorum versuum, qui sine dubio urbane prolati tamen et joco et altiore acumine carent et plerique sensum generalem complexi magis accedunt ad sententias communes ex Homero haustas, quas Plutarchus compluribus locis[1]) commendat certis occasionibus usurpandas. Quorum cum infinita vis circumferatur, paucis speciosioribus contentus ero proferendis. Tum ea afferam exempla, quibus sive jocus vel ludibrium continetur ridicule ad prorsus alienam condicionem Homeri versibus traductis sive omnino elegantius quoddam acumen latet.

---

1. Sext. Emp. adv. mathem. I, 295. *Δημάδης ὁ ῥήτωρ .... πολλοῖς τῶν Ἀθηναίων μετὰ τὴν ἐν Χαιρωνείᾳ ἧτταν συναιχμαλωτισθεὶς καὶ εἰπὼν πρὸς τὸν Φίλιππον ἀναγκάζοντα εὐωχεῖσθαι* · (κ 383 sqq)

'τίς γάρ κεν ἀνὴρ, ὃς ἐναίσιμος εἴη,
πρὶν τλαίη πάσσασθαι ἐδητύος ἠδὲ ποτῆτος,
πρὶν λύσασθ' ἑτάρους καὶ ἐν ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι;'

Idem dictum Laert. Diog. IV, 9 vindicat Xenocrati Academico, qui cum post bellum Lamiacum de captivis Atheniensibus redimendis ad Antipatrum missus ab illo ad coenam invitaretur, officii sui memor lepidissime responderit illis Ulixis ad Circen versibus *'ὦ Κίρκη, τίς γάρ κεν ἀνὴρ, ὃς ἐναίσιμος εἴη'* etc.; quibus verbis commotum Antipatrum confestim illos dimisisse.

Cum omnino non probabile sit alterutrum revera tantum fructum ex dicterio suo cepisse (cf. p. 6 med.), tum prorsus inepte confictum illud videtur Xenocrati. Praeterquam enim, quod Xenocrates elatione ingenii atque suavitate dicendi carebat[2]), cum multi veterum[3]) contrarium de Demade testentur, inter omnes constat Philippum post pugnam Chaeroneensem perbenevolum se atque facilem Atheniensibus praebuisse captivosque sine pretio dimisisse, Antipatrum post bellum Lamiacum durissimas Atheniensibus condiciones constituisse. Itaque solus Laertius Diogenes captivorum per Antipatrum dimissionem refert, cum Plut. v. Phoc. 27 quam inclementer Xenocrates ab Antipatro receptus sit quamque nihil omnino legati effecerint, disertissime narret. Quare mihi non dubium videtur, quin Laertii Diogenis vel fontis, ex quo hauserit, errorem statuamus, qui facillime inde nasci potuit, quod et

---

[1]) De se ips. citra inv. laud. 12; 16; de prof. in virt. 10; de adul. et amico 8 etc.

[2]) L. D. IV, 6. *ἦν δὲ τὴν φύσιν νωθρός* (Xenocrates); Plut. praec. conj. 28. Plato *Ξενοκράτει βαρυτέρῳ τὸ ἦθος ὄντι* dixit: *θῦε ταῖς Χάρισιν*; Plut. de recta rat. aud. 18.

[3]) Cic. orat. 26; Plut. Apophth. Antipatri 2; Diodorus Sic. XVI, 87; Suid. s. v.; ex cod. Vindob. duodecim dicta Demadea edidit et tractavit Dilesius in Mus. Rh. XXIX p. 107 sqq; alia collegit Sauppius in orat. Att. frg.

Demades et Xenocrates non solum ad Philippum (etsi diversis temporibus cf. L. D. IV, 9), sed etiam ad Antipatrum legationis munere functi erant.

Altera ex parte Sexti narratio congruit cum Diod. Sic. XVI, 87, qui refert Demadem post cladem Chaeroneensem multis cum Atheniensibus captum libertate loquendi Philippi regis insolentiam ita coercuisse, ut ei libertatem redderet eumque praecipuo semper honore haberet. *τέλος δ'* — sic pergit Diodorus — *ὑπὸ Δημάδου καθομιληθέντα* (Philippum) *ταῖς Ἀττικαῖς χάρισι πάντας ἀπολῦσαι τοὺς αἰχμαλώτους ἄνευ λύτρων*: hoc unum in Sexti Emp. l. l. emendandum est, quod non donec ipse erat inter captivos Demades illo versu usus fingi potuit — non quadrat in virum captum illud *πρὶν λύσασθ'* etc. —, sed postquam ipsi libertas est reddita.

2. Alexander Magnus cum quondam sagitta esset vulneratus, adulatoribus, qui illum ut deum Jovisque filium venerabantur, subridens sanguine profluente dixisse fertur: hic non est (E 340) '*ἰχὼρ οἷός πέρ τε ῥέει μακάρεσσι θεοῖσιν.*' Plut. Apophth. Alex. 16; de Alex. fort. II, 9; v. Alex. 28; (Seneca epist. 59).

Idem dictum L. D. IX, 60, qui Plutarchi narrationem non ignorat, tribuit Anaxarcho philosopho, discipulo Democriti, qui Alexandrum in magna expeditione comitatus est; Seneca pater (suas. 1) Callistheni; Aristobulus Cassandreus ap. Athen. VI p. 251a Dioxippo cuidam Atheniensi, qui adulatus Alexandrum, cum eum vulneratum conspexisset, exclamaverit: '*ἰχώρ*' etc. Eodem usus versu Celsus ap. Orig. c. Cels. I, 66; II, 36 Christum deum fuisse negat.

3. Ut comprobet *τὴν γραμματικὴν* esse *τῶν βιωφελῶν*, etiam hoc documentum Sext. Emp. adv. mathem. I, 276 exhibet: *Σώστρατος, ὥς φασιν, ἀποσταλεὶς ὑπὸ Πτολεμαίου πρὸς τὸν Ἀντίγονον βασιλικῆς τινος ἕνεκα χρείας κἀκείνου εὐκαιότερον ἀποκρινομένου ἐπέτυχεν εἰπών·* (O 201 sqq)

'οὕτω δὴ κέλεαι, γαιήοχε κυανοχαῖτα;[1])
τόνδε φέρω Διὶ μῦθον ἀπηνέα τε κρατερόν τε;
ἦ τι μεταστρέψεις; στρεπταὶ μέν τε φρένες ἐσθλῶν.'

ταῦτα γὰρ ἀκούσας Ἀντίγονος μετεβάλετο.

Droysenius, hist. Hellen. III, 1 p. 242 hanc narratiunculam ad illud belli Chremonidei tempus refert, quo Antigonus Gonatas Aegyptiorum classem cum Atheniensibus foederatam ad Coum vicerit eaque re mare tenuerit; fortasse Patroclum, qui alteri Aegyptiorum classi praeerat, illa Antigoni victoria interclusum fuisse, ad quem liberandum *χρεία* ista *βασιλικὴ* pertinuerit. Quae sententia, quamquam res ipsae non obstant, tamen levior est, quam cui assentiar: nam neque de Patroclo ejusque classe neque de ipsa pugna ad Coum commissa accuratius aliquid traditum est; injuria autem Droysenius verba *γαιήοχε κυανοχαῖτα*, quae omnino non significant 'meerbeherrschender

[1]) Iliadis codd. omnes: *οὕτω γὰρ δή τοι, γαιήοχε κ.*

Poseidon', premit, cum ne tunc quidem condicio rerum talis fuerit, ut Aegyptii ipsi Antigonum Posidonem appellaverint. Urguendum est potius illud *Διί*, quo in memoriam reducitur Antigono Ptolemaeum tamquam Jovem exsistere, qui optimam mundi partem sortitus sit et summam teneat potentiam.

Itaque hoc confitendum est de Sostrati legatione nihil constare. Cum autem Sostratus alius vix fuerit quam Cnidius ille, qui in aula Ptolemaeorum Lagi et Philadelphi versatus (v. Strab. XVII, 1, 6 p. 791 C: *Σώστρατος Κνίδιος, φίλος τῶν βασιλέων*) celeberrimam illam turrim Phari exstruxerat, cum Droysenio verisimillimum mihi videtur Ptolemaeum Philadelphum et Antigonum Gonatam a Sexto Empirico dictos esse.

4. Plut. quaest. conviv. IX, 1, 2. Corintho capta cum Mummius pueros ingenuos litterarum peritos versus scribere jussisset, unus ex eis scripsit: (ε 306) '*τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις, οἳ τότ' ὄλοντο*', quo ingenii acumine sibi propinquisque suis libertatem reconciliavit.

5. Plut. v. Tib. Gracchi 21. Cum Scipioni minori Numantiam obsidione prementi nuntius allatus esset Tiberium Gracchum Romae esse interfectum, exclamavit: (α 47) '*ὡς ἀπόλοιτο καὶ ἄλλος, ὅτις τοιαῦτά γε ῥέζοι*'.

6. Strabo XI, 1, 6 p. 492 C. *φασὶ γοῦν ἐν Ῥόδῳ γενόμενον τὸν Πομπήιον, ἡνίκα ἐπὶ τὸν λῃστρικὸν πόλεμον ἐξῆλθεν . . . . παρατυχεῖν διαλεγομένῳ τῷ Ποσειδωνίῳ, ἀπιόντα δ' ἐρέσθαι, εἴ τι προστάττει, τὸν δ' εἰπεῖν·* (Z 208) '*αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων.*'

Ex Strabone hunc locum laudavit Eustath. ad Z 207 p. 637, 32 neque minus Eustath. ad Λ 783 p. 884, 30, ubi nominibus non allatis de colloquio sapientem inter et ducem habito refert, ad illud commercium Pompeji et Posidonii, quorum consuetudo compluribus nobis testimoniis affirmatur, pertinet.

7. Suet. Galba 20. 'Exierat in vulgus laudanti cuidam formam suam ut adhuc floridam et vegetam respondisse eum (Galbam): (E 254. φ 426) '*ἔτι μοι μένος ἔμπεδόν ἐστιν.*''

Sed sufficiant haec simplicissimi apophthegmatis exempla. Iam transeamus ad ea facete dicta, quibus jocus vel ludibrium excitatur aut occultior latet urbanitas. Atque primo quidem loco Cynici salis testimonia in medium proferam.

8. Aelian. v. h. IV, 27. *ὅτι Διογένης λαβὼν παρὰ Διοτίμου τοῦ Καρυστίου νόμισμα ὀλίγον ἔφη·* (ζ 180 sq)

'σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς,
ἄνδρα τε καὶ οἶκον.'

ἐδόκει δέ πως ὁ Διότιμος μαλθακώτερος εἶναι.

Iisdem verbis, quibus Ulixes in Nausicaam fausta omina congerit et, quia illa virgo est jam matura nuptiis, virum et domum ei optat,

Diogenes Diotimo gratias agit primum ridicule opponens opima sua vota (*σοὶ δὲ θεοὶ τόσα δοῖεν, ὅσα φρεσὶ σῇσι μενοινᾷς*) exiguae illi stipi, quam ipse acceperat, deinde acerbe cavillatus Diotimi cinaedi effeminatam naturam, tamquam mulieri vota sua accommodans et maritum illi atque domum precatus.

Etiam alias impudicorum adulescentium amatores acerbis facetiis illorum viros nominatos videmus, veluti idem Diogenes apud Philonem Jud. 'quod omnis probus liber' c. 18 (eadem narratiuncula ap. Clem. Alex. paedag. III, 3, 16) in ambiguitate vocis *ἀνήρ* (homo et maritus) ludit venturus adulescentulo molli et effeminato acclamans: '*σύ με πρίω, σὺ γὰρ ἀνδρὸς χρείαν ἔχειν μοι δοκεῖς.*' Non minus salse Cicero post red. in sen. 5, 12 propter turpissimum cum Gabinio stuprum Catilinam ejus virum appellat. Vide etiam Lucian. Pseudolog. 28 fin.

9. Philo Jud. in libro, qui inscribitur 'quod omnis probus liber' II p. 464 M c. 18, quanta Diogenes Cynicus fuerit constantia et animi tranquillitate, depingit narrans, quomodo a praedonibus captus sese gesserit. Qui antequam una cum ceteris captivis venum iret, hilari animo prandit etiam cum aliis de cibis communicans. *ἑνὸς δὲ οὐ μόνον λυπουμένου, ἀλλὰ καὶ σφόδρα κατηφοῦντος· 'οὐ παύσῃ τῆς συννοίας; ἔφη, χρῶ τοῖς παροῦσι·* (*Ω* 602 sqq)

> '*καὶ γάρ τ' ἠύκομος Νιόβη ἐμνήσατο σίτου,*
> *τῇ περ δώδεκα παῖδες ἐνὶ μεγάροισιν ὄλοντο,*
> *ἓξ μὲν θυγατέρες, ἓξ δ' υἱέες ἡβώοντες.*"

Legimus Philonis narratiunculam etiam in Cratetis epist. XXXIV; eandem tangit Julian. or. VI p. 201 B.

10. Gnomol. Vatic. ed. Sternbach in stud. Vindob. IX, 1887 et X, 1888 et XI, 1889 nr. 193: *ὁ αὐτὸς* (Diogenes) *καταμαθὼν νεανίσκον τινὰ πᾶσι τοῖς σοφισταῖς προσομιλοῦντα προθυμούμενον καὶ αὐτῷ προσομιλῆσαι ἔφη·* (*E* 889) '*μή τί μοι, ἀλλοπρόσαλλε, παρεζόμενος μινύριζε.*'

Festive Diogenes cognomen Martis modo huic modo illi faventis ad adulescentulum inconstantem et inter diversas philosophorum disciplinas errantem transfert.

11. Laert. Diog. VI, 52. *ἰδὼν* (Diogenes) *λωποδύτην ἔφη·* (*K* 343. 387)

> '*τίπτε σὺ ὧδε, φέριστε;*
> *ἤ τινα συλήσων νεκύων κατατεθνηώτων;*'

Ut ex ipso versu cognoscimus, *λωποδύτης* hoc loco non dictum est de eo, qui in balnearum et gymnasiorum vestiariis furatur aut praetereuntibus insidiatus hominibus vi vestimenta detrahit, sed de eo, qui mortuos amiculis feralibus spoliat. Quae notio affirmatur in Bekker. Anecd. p. 276, 13: *λωποδύτης ὁ τὰ τῶν νεκρῶν ἱμάτια κλέπτων.*

Priorem versum pari forma neque Ilias neque Odyssea continet; proxime accedit ad *Z* 123 al. *τίς δὲ σύ ἐσσι, φέριστε.* Utrum versui *K* 387, quem ex v. 343 iteratum Aristophanes et Aristarchus damnaverunt, olim antecesserit an auctor dicti sibi ipse eum ex sermone Homerico composuerit, non possum dijudicare: ipsi versui *K* 343 sine dubio antecedere non potuit.

12. Laert. Diog. VI, 66. *ὀνειδιζόμενος* (Diogenes), *ὅτι παρ' Ἀντιπάτρου τριβώνιον ἔλαβεν, ἔφη·* (*Γ* 65) '*οὔτοι ἀπόβλητ' ἐστὶ θεῶν ἐρικυδέα δῶρα.*'

13. ibid. 67. *ὀνειδιζόμενος, ὅτι αὐτὸς αἰτεῖ, Πλάτωνος μὴ αἰτοῦντος· 'κἀκεῖνος, εἶπεν, αἰτεῖ, ἀλλ'* (*α* 157. *δ* 70. *ρ* 592) '*ἄγχι σχὼν κεφαλήν, ἵνα μὴ πευθοίαθ' οἱ ἄλλοι.*"

Diogenem, etsi non certo pretio docuit, tamen victum ab amicis et discipulis petiisse ex multis testimoniis cognoscimus: L. D. VI, 46. *χρημάτων δεόμενος ἀπαιτεῖν ἔλεγε τοὺς φίλους, οὐκ αἰτεῖν*; ib. 49. *αἰτῶν τινα—καὶ γὰρ τοῦτο πρῶτον ἐποίει διὰ τὴν ἀπορίαν*; cf. etiam L. D. VI, 62; Stob. flor. XV, 9; Teletem ap. Stob. flor. V, 67 (Telet. rel. p. 9, 13 ed. Hense). Ceterum Platonem quoque veterum quosdam calumniatos esse, quod pecuniam exegerit, ex Sen. vit. be. 27, 5 apparet.

Non raro tamquam certamen exsistit facetiarum, cum ex duobus viris ingeniosis postquam alter Homeri versu alterum adiit, ille aeque Homerico versu usus refutat eum, qui lacessivit, et invicem ludibrium reddit (praeter tria, quae sequuntur, exempla vide nr. 37. 52 et Lucian. Hal. c. 3; Euripidis versibus inter se pugnant Plato et Aristippus ap. L. D. II, 78).

14. Laert. Diog. IV, 46 sq. Cum Antigonus rex ex Bione quaesiisset: (*α* 170 al.) '*τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;*' atque ille ignobile suum genus regi proditum esse sentiret, nihil veritus obscuram suam originem — fuerant autem pater libertus, cubito se emungens (h. e. salsamentarius cf. Eustath. ad *Θ* 457 p. 723, 9), mater meretrix — exposuit eaque non erubescens ad illum regis versum referens adjecit alium, quo Glaucus et Aeneas, uterque nobilissimo genere ortus, stirpe sua gloriantur (*Z* 211. *Y* 241) '*ταύτης τοι γενεῆς τε καὶ αἵματος εὔχομαι εἶναι.*'

Quod Eustathius ad *Z* 211 p. 637, 37 eundem jocum usurpantem facit Antisthenem, memoria fallitur confundens Bionis originem et Antisthenis, qui matre peregrina utebatur, id quod saepius crimini ei datum videmus cf. L. D. VI, 1; Plut. de exil. c. 17; Sen. de constant. sap. c. 18. Nostrum dictum Bioni tribuendum esse etiam Suid. s. v. *ἀγκών* et Stob. flor. LXXXVI, 13 testantur, quamquam hic solum priorem Antigoni versum, aliud Bionis responsum exhibet.

15. Ejusmodi aliud exemplum narratur ap. Athen. X p. 438 a. b. *Λακύδης δὲ καὶ Τίμων οἱ φιλόσοφοι κληθέντες πρός τινα τῶν γνωρίμων ἐπὶ δύο ἡμέρας καὶ βουλόμενοι συμπεριφέρεσθαι τοῖς παροῦσιν ἔπινον προθυμότερον· τῇ μὲν οὖν πρώτῃ τῶν ἡμερῶν ὁ Λακύδης ἀπῄει πρότερος ἐπιπολάσαντος αὐτῷ τοῦ ποτοῦ. καὶ ὁ Τίμων ὁρῶν αὐτὸν ἀπιόντα ἔφη·* (*X* 393) '*ἠράμεθα μέγα κῦδος, ἐπέφνομεν Ἕκτορα δῖον.*' *τῇ δὲ ὑστεραίᾳ προαπιόντος τοῦ Τίμωνος διὰ τὸ μὴ δυνηθῆναι ἐκπιεῖν τὴν προποθεῖσαν αὐτῷ κύλικα, ὁ Λακύδης ἰδὼν αὐτὸν ἐπανάγοντα εἶπε·* (*Z* 127) '*δυστήνων δέ τε παῖδες ἐμῷ μένει ἀντιόωσιν.*'

Quam nihil haec narratiuncula idonea sit, ex qua *φιλοπότας* Lacydam et Timonem fuisse concludamus, Wachsm. l. l. p. 14 et

Hirzelius (Herm. XVIII p. 1) monuerunt. Ex Athenaeo eam attulit Eustath. ad *X* 393 p. 1275, 55.

16. Etiam elegantiorem prae se fert speciem illud Alexandri et Diogenis colloquium, quod tradit Arrh. diss. Epict. III, 22, quia Cynicus non quolibet versu, sed ipso in Iliade subsequente regi respondet[1]): *Ἀλεξάνδρῳ ἐπιστάντι αὐτῷ* (Diogeni) *κοιμωμένῳ καὶ εἰπόντι·* (*B* 24) *'οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα' ἐνύπνιος ἔτι ὢν ἀπήντησεν·* (*B* 25) *'ᾧ λαοί τ' ἐπιτετράφαται καὶ τόσσα μέμηλεν.'*

Falso alterum versum interpretatus est Schweighaeuser, qui explicat: 'nempe haec verba pariter ad se pertinere significabat', ad errorem, nisi fallor, celeberrimo illo Diogenis dicterio adductus profitentis ad imperandum se natum esse cf. Stob. flor. III, 63; L. D. VI, 29; 74; Philo Jud. 'quod omn. prob. lib.' c. 18. Quod tamen ad has facetias nihil refert, quae multo simplicius, non insulsius intellegendae sunt. Sic enim Diogenes Alexandri opprobrium refellit: tibi sane non licet per totam noctem dormire, quippe cuius curae populi sint commissi, mihi licet.[2])

Eandem chriam servavit Theo Sophist. progymnas. V *π. χρείας*, Rhet. Gr. ed. Walz I p. 205.

Cynicorum ratione multi alii sive festive sive acerbe Homerum usurpaverunt, ad quorum dicta jam venimus.

17. Vita Aristophanis, Biogr. ed. Westerm. p. 156 lin. 27 sqq; Aristoph. ed. Dindorf IV, 1 p. 35 et 37. *ὡς ξένον δ' αὐτὸν ἔλεγε* (Cleon), *παρόσον οἱ μὲν αὐτόν φασιν εἶναι Ῥόδιον ἀπὸ Λίνδου, οἱ δ' Αἰγινήτην, στοχαζόμενοι ἐκ τοῦ πλεῖστον χρόνον τὰς διατριβὰς ποιεῖσθαι αὐτόθι, ἢ καὶ ὅτι ἐκέκτητο ἐκεῖσε· κατά τινας δ' ὡς ὅτι ὁ πατὴρ αὐτοῦ Φίλιππος Αἰγινήτης· ἀπολυθῆναι δ' αὐτὸν εἰπόντα ἀστείως ἐκ τοῦ Ὁμήρου ταῦτα·* (*α* 215 sq)

'μήτηρ μέν τέ μέ φησι τοῦ ἔμμεναι, αὐτὰρ ἔγωγε
οὐκ οἶδ'· οὐ γάρ πώ τις ἑὸν γόνον αὐτὸς ἀνέγνω.'

De ipsa apophthegmatis fide cf. quae supra disserui.

18. Athen. VIII p. 347 f — 352 d depingit, quantam *εὐστοχίαν τῶν ἀποκρίσεων* praestiterit Stratonicus Atheniensis *ὁ κιθαριστής*, qui

---

[1]) Similem lusum adhibet Seneca in apocol. 5. Postquam Hercules Claudium ante caeli portam stantem allocutus est: (*α* 170 al.) *'τίς πόθεν εἰς ἀνδρῶν; πόθι τοι πόλις ἠδὲ τοκῆες;'* atque ille et ipse Homerico versu Caesarem se esse significans et, ut Herculi imponeret, clarissimam suam ex Aenea originem urguens respondit: (*ι* 39) *''Ἰλιόθεν με φέρων ἄνεμος Κικόνεσσι πέλασσεν,'* jocose auctor saturae addit: 'erat autem sequens versus verior (*ι* 40) *'ἔνθα δ' ἐγὼ πόλιν ἔπραθον, ὤλεσα δ' αὐτούς.''* — Crantorem versu Euripideo se affatum ipso proximo versu Arcesilaus excepit ap. L. D. IV, 29.

[2]) Cf. Eustath. ad *B* 24 p. 167, 42. *γνωματεύει δὲ ὁ λόγος* (vv. 24 et 25), *ὅτι ἀνὴρ μὲν ἰδιώτης τάχα ἂν οὐκ ἐπιψόγως ὑπνώσῃ παννύχιος καὶ οὐδὲ ὁ ἁπλῶς βουληφόρος ἄγρυπνος ἔσται, ὁ μέντοι βουληφόρος βασιλεὺς οὐκ ἂν διὰ πάσης δεόντως ὑπνώσῃ νυκτός.*

altera parte quarti a. Chr. n. saeculi floruit[1]) neque magis arte citharoedica, qua magnam assecutus est gloriam, quam dicacitate eluxit. Cum autem nusquam diutius commoratus itineribus terras perlustraret (ib. p. 350 e med.), multos visit viros claros, maxime vero ipsas locorum proprietates[2]) facetiis perstrinxit, qua quisque insignitus erat. Quorum apophthegmatum quanta copia apud veteres circumlata sit, ex permultis illis exemplis ab Athenaeo servatis concludere possumus: magnum numerum Machon, poeta comicus, praeceptor Aristophanis grammatici (Athen. VI p. 241 f), una cum aliorum virorum facetiis in *χρείαις* versibus persecutus erat (Athen. VIII p. 348 e); postremo autem eadem ars cavillandi illi exitium comparasse dicitur (ib. p. 349 e. f; 352 d).

Ex Stratonici tempestive dictis quattuor repperi ad nostram rem pertinentia (praeterea cf. nr. 55), quorum primum exstat ap. Athen. VIII p. 350 d: *παρακληθεὶς δὲ* (Stratonicus) *ἀκοῦσαί ποτε κιθαρῳδοῦ μετὰ τὴν ἀκρόασιν ἔφη·* (*Π* 250) *'τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσεν,' καί τινος εἰπόντος· 'τὸ ποῖον'; ἔφη· 'κακῶς μὲν κιθαρίζειν ἔδωκεν, ᾄδειν δὲ καλῶς ἀνένευσεν.'*

Ille sane versus non per se absolutus est jocus, sed accedere opus est Stratonici explicationem, ut ludibrium percipi possit. — Laudavit Athenaei locum Eustath. ad *Π* 250 p. 1056, 39 (ubi minus diligenter Stratonicum explicantem facit: *κακῶς μὲν ᾄδειν ἔδωκε, καλῶς δὲ ᾄδειν ἀνένευσε*) et ad *ϑ* 63 p. 1586, 5.

19. Alterum exemplum apud Strab. XIV, 2, 3 p. 651 C legimus: *ἡ πόλις* (Caunus) *τοῦ θέρους ὁμολογεῖται παρὰ πάντων εἶναι δυσάερος* etc. *καὶ δὴ καὶ τὰ τοιαῦτα διηγημάτια θρυλεῖται, ὅτι Στρατόνικος ὁ κιθ. ἰδὼν ἐπιμελῶς*[3]) *χλωροὺς τοὺς Καυνίους τοῦτ' εἶναι ἔφη τὸ τοῦ ποιητοῦ·* (*Z* 146) *'οἵη περ φύλλων γενεή, τοίη δὲ καὶ ἀνδρῶν.'*

---

[1]) Stratonicum a rege Cypriorum Nicocle sive Nicocreonte ob dicacitatem interfectum esse Phanias Peripateticus *περὶ ποιητῶν* ap. Athen. VIII p. 352 d et Machon ib. 349 e. f referunt; Capito cum Ptolemaeo rege (ib. 350 c), alii cum Polyido ejusque discipulo Philota (ib. 352 b) congredientem eum finxerant; Diodori Aspendii Pythagorei (de huius aetate cf. Zeller, hist. philos. Gr. I^4 p. 311 adn. 3) aequalem eum fecit Timaeus Tauromenitanus (Athen. IV p. 163 f).

[2]) Testimoniis abundat Athen. l. l., quomodo Stratonicus sive oppidorum civium consuetudines ac mores irriserit sive ipsam urbium magnitudinem, valetudinem, situm ludibriis exagitaverit. Ad idem Stratonici studium locorum proprietates ludificandi anus Corinthiae apud Machonem (Athen. VIII p. 349 e) verba pertinent, quibus ipsius citharoedi cavillationes acerbis salibus rependit:

'Διηπόρησα, φησίν, εἰ μήτηρ δέκα
σὲ μῆνας εἶχε κἀκράτει τῆς κοιλίας,
πόλις δ' ἔχουσά σ' ἡμέραν ἀλγεῖ μίαν.'

[3]) Jam Casaubonus aliique locum, qui antecedit, corruptum esse viderunt. Aeque verbum *ἐπιμελῶς* h. e. diligenter, accurate, etsi jam Stephanus Byzantius legit atque ipse recepit, nullo modo ferri potest,

Notum est Homerum illa cum foliis comparatione uti ad depingendam velocem generum hominum vicissitudinem. Lepidissime Stratonicus tertium comparationis, quod vocamus, non refert ad fragilitatem, sed ad similitudinem, quae intercedit inter colores frondis et Cauniorum oris e viridi pallentis.

Idem dictum exhibent Steph. Byz. s. v. *Καῦνος*; Eustath. ad Dionys. Perieg. 533; id. ad *Z* 143 p. 630, 4 et ad *K* 376 p. 812, 51; in gnom. Vat. ed. Sternbach l. l. nr. 345 falso Theocrito Chio assignatur (cf. pag. 15 adn. 2). — Caunum oppidum habitantium valetudine infame fuisse etiam Plin. n. h. XI, 37, 47 et Pomp. Mela de s. o. I, 16, 1 testantur.

20. Postremo duo Stratonici apophthegmata nuper a Sternbachio in gnom. Vat. l. l. edita sunt, nr. 520: *ὁ αὐτὸς* (Stratonicus) *ἐπιδεικνύμενός ποτε παρὰ Βοιωτοῖς ἐξιόντος ἐκ τοῦ θεάτρου φαλακροῦ εἶπε· 'σὺ μὲν ἔξιθι· οἱ δ'* (*I* 45) *'ἄλλοι μενέουσι κάρη κομόωντες Ἀχαιοί.''*

Non opus est monere Homeri epitheton ornans '*κάρη κομόωντες*' hoc loco a Stratonico ipsi Boeotii calvitio jocose opponi.

21. ibid. nr. 524 = cod. Vat. Gr. 1144 f. 231r. *ὁ αὐτὸς θεασάμενος ἰατρὸν κακὸν καὶ ἱππιατρὸν ἀλλήλοις ὁμιλοῦντας εἶπε· 'νῦν τούτων ὁ ἕτερος λέγει· ἀλλὰ* (*K* 481) *'σύ γ' ἄνδρας ἔναιρε, μελήσουσιν δ' ἐμοὶ ἵπποι.''*

Idem ludibrium auctoris nomen non proferens ut *σκῶμμα παλαιὸν* Eustath. commemorat ad *K* 480 p. 819, 48. — Non minus acerbe Iliadis versus *A* 3 ad medicos irridendos transfertur in Luciani epigr. 52 (ed. Jacobitz III p. 469) = Anthol. Pal. XI, 401; cf. etiam Brandt, parod. epic. Gr. rel. p. 99 frg. VII.

22. Laert. Diog. V, 5. Aristoteles Callisthenem consanguineum suum, cum nimis libere erga Alexandrum se gereret (cuius libertatis Plutarchus v. Alex. 54 praebet exemplum: Callisthenem enim regis a se alienationem nihil curantem bis terve ei dixisse discedentem: (*Φ* 107) *'κάτθανε καὶ Πάτροκλος, ὅ περ σέο πολλὸν ἀμείνων'*), hoc versu monuit: (*Σ* 95) *'ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις.'*

Quamquam locus interpretationem non requirit, tamen unum monendum videtur aliter atque a Thetide verba *οἷ' ἀγορεύεις* ab Aristotele usurpata esse. Illa enim dicit *ὠκύμορος ἔσσεαι* 'secundum ea, quae dicis,' h. e. si conficies, quae dicis; Aristoteles *ὠκύμορος ἔσσεαι* 'si (vel 'quod') talia dicis.'

23. Stob. ecl. II, 31, 125 (ed. W. II, 243, 9) = flor. 'Joan. Damasc.' 125 (ed. Mein.). Cleanthes Stoicus, cum puer quidam

quippe quod sanum sensum non exhibeat neque cum *ἰδών* neque cum *χλωρούς* conjunctum. Quae alii proposuerunt (cf. Strab. ed. Kramer, adn. ad l.), mihi non nimis arriserunt, quamquam ne ipse quidem certam afferre possum medelam. Num forte *ἐμμελῶς* h. e. commode, facete, ante verbum *Στρατόνικος* omissum et in margine ascriptum in *ἐπιμελῶς* transiit, tum autem alieno loco insertum est?

Lacedaemonius interrogasset, bonumne esset labor, ait: (*δ* 611) *'αἵματός εἰς ἀγάθοιο, φίλον τέκος, οἷ' ἀγορεύεις.'* Idem ap. L. D. VII, 172.

24. Aelian. v. h. III, 33. *Σάτυρος ὁ αὐλητὴς Ἀρίστωνος τοῦ φιλοσόφου πολλάκις ἠκροᾶτο καὶ κηλούμενος ἐκ τῶν λεγομένων ἐπέλεγεν.* (*E* 215) *'εἰ μὴ ἐγὼ τάδε τόξα φαεινῷ ἐν πυρὶ θείην' τοὺς αὐλοὺς αἰνιττόμενος καὶ τρόπον τινὰ τὴν τέχνην ἐκφαυλίζων παραβολῇ τῇ πρὸς φιλοσοφίαν.*

Ut Pandarus arcum suum, quamquam summam eo adeptus est gloriam, exsecratur, cum essedum utilius sibi in pugna futurum fuisse cognoscat, sic Satyrus tibicen tibiarum artem repudiat, cum Aristone[1]) audito philosophiae disciplinam praestantiorem esse intellegat. — Sententia e conexu soluta *εἰ μὴ — θείην* scilicet ita percipienda est, ut Satyri sui ipsius exsecrationem mente suppleamus aeque ac Pandarus versu antecedente se detestatus erat: *αὐτίκ' ἔπειτ' ἀπ' ἐμεῖο κάρη τάμοι ἀλλότριος φώς.* Eundem usum habemus in nr. 64.

25. Laert. Diog. VII, 183. *οὕτω δ' ἦν φρονηματίας* (Chrysippus) *ὥστ' ἐρομένου τινός· 'τίνι συστήσω τὸν υἱόν;' εἰπεῖν· 'ἐμοί· καὶ γὰρ εἰ ὑπελάμβανον εἶναί τιν' ἐμοῦ βελτίονα, παρ' αὐτῷ ἂν ἐγὼ ἐφιλοσόφουν.' ὅθεν φασὶν ἐπ' αὐτοῦ λεχθῆναι·* (*κ* 495) *'οἶος πέπνυται, τοὶ δὲ σκιαὶ ἀίσσουσιν' καὶ 'εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν στοά'.*

Ex sententiarum conexu (*οὕτω δ' ἦν φρονηματίας—ὅθεν φασὶ λεχθῆναι*) apparet cum irrisione Diogenem voluisse illud de Chrysippi nimia sui aestimatione (quae etiam e § 179 elucet) dictum esse, ut qui tamquam Tiresiam inter umbras solum se animum atque mentem habere confideret. Cui nihil obstat, praesertim cum Apostolius XII, 53 (Paroem. Gr. ed. Leutsch II p. 554), qui illum versum in proverbiis refert, exponat: *ἐπὶ τῶν ἄγαν φρονίμων λέγεται.* De altero tamen dicto, quod Diogenes adnectit: *'εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρ., οὐκ ἂν ἦν στοά,'* quod Carneades ap. L. D. IV, 62 in ridiculum vertit (cf. nr. 26), dubium mihi videtur, num cum ludibrio de Chrysippo adhibitum fuerit nec potius ex ipsis discipulis profectum sit, qui Chrysippum alterum Stoicae disciplinae conditorem venerabantur (cf. Athen. VIII p. 335 b; Cic. Acad. II, 24, 75).

Etiam priorem versum Homericum saepius ex animo usurpatum videmus, veluti illis verbis Cato major judicium vestivit, quod de Scipione minore ceterisque contra Carthaginienses ducibus edidit cf. Polyb. 36, 6 (= Suid. s. v. *ἀίσσουσιν*); Plut. apophth. Scip. min. 3; vit. Cat. 27; praec. ger. reip. 10. — Item de Archigene medico Galenus judicat de differ. pulsuum II, 51 (ed. Kuehn VIII p. 602).

26. Plut. de Stoic. repugn. 10. *καὶ τὸν Καρνεάδην οὐδὲν οἰόμενοι λέγειν ἴδιον, ἀλλ' ἐξ ὧν ἐπεχείρησε Χρύσιππος εἰς τοὐναντίον, ὁρμώμενον ἐπιτίθεσθαι τοῖς λόγοις αὐτοῦ καὶ πολλάκις παραφθέγγεσθαι·* (*Z* 407) *'Δαιμόνιε,*

[1]) Non dubium est, quin Satyrus Stoicum Aristonem Chium audiverit, cuius facundiam L. D. VII, 161 laudat: *ἦν δέ τις πειστικὸς καὶ ὄχλῳ πεποιημένος.*

φθίσει σε τὸ σὸν μένος' ὡς μεγάλας ἀφορμὰς καθ' ἑαυτοῦ διδόντα τοῖς κινεῖν τὰ δόγματα καὶ διαβάλλειν βουλομένοις.

Jam ex Plutarchi ipsius verbis patet illud '*φθίσει σε τὸ σὸν μένος*' referendum esse ad Chrysippi perfectissimam artem in contrariam partem disputandi, qua usus Carneades ipsam Stoicam disciplinam vehementissime oppugnavit. Nam posterioris temporis Stoici de Chrysippo queri solebant, 'dum studiose omnia conquisivisset contra sensus et perspicuitatem contraque omnem consuetudinem contraque rationem, ipsum sibi respondentem inferiorem fuisse itaque ab eo armatum esse Carneadem' (Cic. Acad. II, 27, 87). Qua in oppugnatione fundum ac fundamentum suae doctrinae positum fuisse ipse testatur Carneades ap. L. D. IV, 62 detorquens celeberrimum illud Stoicorum dictum '*εἰ μὴ γὰρ ἦν Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν ἐγώ.*'

27. Athen. X p. 437 e. *Ἀντίγονος δὲ ὁ Καρύστιος ἐν τῷ περὶ τοῦ Διονυσίου βίου τοῦ Ἡρακλεώτου τοῦ ἐπικληθέντος Μεταθεμένου φησὶ τὸν Διονύσιον τοῖς οἰκέταις συνεορτάζοντα ἐν τῇ τῶν χοῶν ἑορτῇ καὶ μὴ δυνάμενον διὰ γῆρας χρῆσθαι ᾗ παρειλήφεσαν ἑταίρᾳ, ὑποστρέψαντα εἰπεῖν πρὸς τοὺς συνδειπνοῦντας·* (φ 152) '*οὐ δύναμαι τανύσαι, λαβέτω δὲ καὶ ἄλλος.*'[1])

Obscoenitas verborum non indiget explicatione. Eustathius hoc ludibrium ex Athen. attulit ad λ 224 p. 1680, 48 et ad φ 152 p. 1905, 48 (cf. ad *Z* 478 p. 656, 65). De Dionysio, qui initio discipulus Zenonis a Stoicorum disciplina ad Epicuri castra transiit, unde *Μεταθέμενος* cognominatus est, cf. L. D. VII, 166 sq.; Athen. VII p. 281 d; Wachsmuth l. l. p. 180.

28. Athen. VII p. 298 e. *ὁ δ' αὐτὸς οὗτος (Ἐπικούρειός τις εἰκαδιστής) πλακοῦντός ποτε θερμοῦ παρατεθέντος καὶ πάντων ἀπεχομένων ἐπιφωνήσας·* (*Y* 371) '*τοῦ δ' ἐγὼ ἀντίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικεν' προπετῶς ἐπιβαλὼν καὶ καταπιὼν φλεγόμενος ἐξεφέρετο.*

Festive usurpat Epicureus eum versum, quem Hector obviam Achilli processurus exclamat, placentam aggressurus, cuius calor ceteros convivas absterret. Cf. Eustath. ad *Y* 370 p. 1211, 53.

29. Macrob. Sat. II, 7, 18. 'Hic (Pylades pantomimus) quia ferebatur mutasse rudis illius saltationis ritum, quae apud majores viguit, et venustam induxisse novitatem, interrogatus ab Augusto, quae saltationi contulisset, respondit: (*K* 13) '*αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπὴν ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων.*"

Clarissimi illius pantomimi commode dictum accuratius explicatur Suetonii verbis ap. Hieron. Ol. 189, 3 (p. 22, 3 ed. Reiff.): 'Pylades Cilix pantomimus, cum veteres ipsi cantarent atque saltarent, primus Romae chorum et fistulam sibi praecinere fecit.' Itaque non solum saltationem pantomimi excoluit, quod affert Macrobius, verum etiam chorum cantico adhibuit (*ὅμαδόν τ' ἀνθρώπων*) atque pro solo tibiarum

---

[1]) Odysseae libri: *οὐ μὲν ἐγὼ τανύω.*

sono pleniorem symphoniam (*αὐλῶν συρίγγων τ' ἐνοπήν*) induxisse videtur, cf. Friedlaender, hist. mor. Rom. II^{5} p. 407. 409. III p. 305.

30. Suetonius in v. Vespasiani c. 23 de illius imperatoris ingenio hoc tradit: 'utebatur et versibus Graecis tempestive satis et de quodam procerae staturae improbiusque nato: (*H* 213) '*μακρὰ βιβὰς, κραδάων δολιχόσκιον ἔγχος.*"

Perverse mihi videntur Vespasiani jocum intellexisse Gronovius, Burmannus, Wolfius, alii, qui '*κραδάων δολ. ἔγχος*' obscoeno sensu de homine bene peculiato acceperunt. Praeterquam enim quod in ipso 'improbius nato' non inest ista notio, quam illi statuunt, ideoque ad conjecturam refugiendum esset 'vasato' pro 'nato', ne sic quidem locus sanus esset, quia non apparet, cur Suetonius premat 'de quodam p r o c e r a e s t a t u r a e': nam *μακρὰ βιβάς* ad longa crura, non ad totius corporis proceritatem spectat. Sed ne Ernestus quidem, qui illorum interpretationem repudiavit, locum satis accurate explicavit illud 'improbius nato' et versum ipsum ad hominem praeter modum magni et robusti corporis traducens, qui strenue ingrediatur.

'(Bene, male) natum' de condicione ab ipsa natura effecta dicunt, cf. Varr. r. r. I, 6; Colum. IV, 24, 7; Liv. IX, 2; 'improbe' autem de eo, quod modum excedit, cf. Charis. I, 78. Conjunctum igitur cum verbo 'procerae staturae' 'improbius natum' adhibetur de eo, cuius corporis figura praeter usitatam naturae rationem exsistit, vel ut Casaubonus recte interpretatus est: 'improbe natum vocat *τὸν κακῶς πεφυκότα*, hominem deformi ac turpi proceritate corporis.' Itaque *μακρὰ βιβάς* pertinet ad crurum longitudinem, verbo *κραδάων δολ. ἔγχος* significatur gracilitas et proceritas corporis, quod carens firma ac solida substructione titubat (similiter in lingua vernacula homines tali statura praeditos jocose appellare solemus 'lange Latte, Stange').

31. Philostr. v. sophist. I, 7, II (ed. Kayser p. 8). Dio Prusaeus sophista, quem Cynicorum sectatorem fuisse E. Weber[1]) demonstravit, metuens Domitiani libidines regias, qui aversus a litteris omnes philosophos urbe Italiaque summoverat (cf. Suet. Domit. 10; Gell. n. A. XV, 11, 4), Roma ad Getas confugerat et mendici habitu occultus militum castra frequentabat. Tyranno autem interfecto *τοὺς στρατιώτας ὁρῶν ἐς νεώτερα ὁρμῶντας ἐπὶ Δομετιανῷ ἀπεσφαγμένῳ οὐκ ἐφείσατο ἀταξίαν ἰδὼν ἐκραγεῖσαν, ἀλλὰ γυμνὸς ἀναπηδήσας ἐπὶ βωμὸν ὑψηλὸν ἤρξατο τοῦ λόγου ὧδε·* (χ 1) '*αὐτὰρ ὁ γυμνώθη ῥακέων πολύμητις Ὀδυσσεύς.*' Quibus verbis cum non mendicum, sed Dionem sophistam se esse ostendisset, tyranno accusato eloquentiae vi milites permovit, ut Romanis obsequerentur.

32. Suid. s. v. *Ἱεροκλῆς*, quam virili ac generoso animo philosophus ille Alexandrinus fuerit, qui ut plerique recentiores Academici

---

[1]) E. Weber 'de Dione Chrysostomo Cynicorum sectatore' in stud. Lips. X, 1887. De hoc loco disseruit in p. 220 sq.

gravissimas cum Christianorum religione exercebat inimicitias, exemplum profert: *εἰς γὰρ τὸ Βυζάντιον ἀνελθὼν προσέκρουσε τοῖς κρατοῦσι καὶ εἰς δικαστήριον ἀχθεὶς ἐτύπτετο τὰς ἐξ ἀνθρώπων πληγάς.*[1]) *ῥεόμενος δὲ τῷ αἵματι, βάψας κοίλην τὴν χεῖρα προσραίνει τὸν κριτὴν ἅμα λέγων·* (ι 347) '*Κύκλωψ, τῆ, πίε οἶνον, ἐπεὶ φάγες ἀνδρόμεα κρέα.*'

Τοὺς κρατοῦντας Christianos dictos esse Kuester docet.

33. Plut. de glor. Ath. 2. *Εὐφράνωρ τὸν Θησέα τὸν ἑαυτοῦ τῷ Παρρασίου παρέβαλε λέγων τὸν μὲν ἐκείνου ῥόδα βεβρωκέναι, τὸν δὲ ἑαυτοῦ κρέα βόεια. τῷ γὰρ ὄντι γλαφυρῶς ὁ Παρρασίου γέγραπται καὶ πεποίηται καί τι προσέοικε· τὸν δ' Εὐφράνορος ἰδών τις εἶπεν οὐκ ἀφυῶς τις·* (*B* 547)

'*δῆμον Ἐρεχθῆος μεγαλήτορος, ὅν ποτ' Ἀθήνη*
θρέψε, Διὸς θυγάτηρ.'

Ad significandum ingens robur ac nervosum Thesei corpus, quod Euphranoris pictura expressum habuit, criticus ille, cuius nomen Plutarchus non profert, Theseum vocat genuinum gentilem Erechthei a dea ipsa olim alti. Sunt illi versus inter eos, quos Athenienses quidam ad celebrandam Pisistrati tyrannidem et Atheniensium gloriam in Homerum inseruerant: anonymus iste maxime premit illud '*ὅν ποτ' Ἀθήνη θρέψε*' transferens illam Erechthei per Athenam nutricationem etiam ad populum ipsum, cuius Theseus erat (nisi forte ab initio verba *ὅν ποτ' Ἀθ. θρέψε* per jocum conjungere vis cum voce *δῆμον*; orationis amphiboliam veteres non fugisse patet ex Theone Soph. progymnas. IV *π. διηγήματος,* Rhet. Gr. ed. Walz I p. 187). — Contra vix urgueri potest *μεγαλήτορος,* ut quod hic significet 'ingenti pectore praediti' — sic voluit Duebner in conversione latina editionis Plutarchi — cum *ἦτορ* non sit pectus, sed anima, per quam spiramus, cf. Suid. s. v.; Eustath. ad. *A* 189 p. 79, 45.

34. Non silentio praeteriverim versum quendam, quem Plut. quaest. conviv. IX, 1, 3 inter *στίχους ἀκαίρως ἀναπεφωνημένους* refert, cum non dubitem, quin dicterii sal in voluntate auctoris fuerit, quam disceptationem Plutarchus in medio relinquit. Grammatico enim, qui Rhodi artes suas in theatro proferens versum quemlibet exegerat, aliquis acclamavit illum, quo Aeolus Ulixem jubet insula sua exire: (κ 72) '*ἔρρ' ἐκ νήσου θᾶσσον, ἐλέγχιστε ζωόντων.*'

Denique restant veteres tres joci, qui in omnium usu versati esse videntur.

35. Eustath. ad *Γ* 156 p. 397. *κἀκεῖνο δ' εἰδέναι οὐκ ἀχρεῖον, ὅτι τὸ 'οὐ νέμεσις'* (vv. 156—157) *εἰς παροιμίαν ἔπεσεν ἐπὶ τῶν ἐχόντων μέν τι, ὅπερ ἂν ἔχοι τις οὐκ ἐπαινεῖν, ὅμως δὲ ἄλλως φιλουμένων διά τι σεμνὸν λόγου*

---

[1]) Formulam *τὰς ἐξ ἀνθρώπων πληγάς,* quam Casaubonus aliique viri docti conjecturis temptandam quondam putaverant, Bernhardyus ed. Suid. I, 2 p. 954 sat multis exemplis comprobatam suo jure defendit, utpote quae significet: vehementissima, quantum ex hominibus fieri potuit, verbera.

ἄξιον. σοφὸς γοῦν τις οὐ πάνυ παλαιὸς διὰ μόνον αὐτὸ τοῦτο τὸ 'οὐ νέμεσις' πολὺν πλοῦτον βασιλικὸν περιέθετο κατὰ καιρὸν λαλήσας αὐτὸ εἰς ἔπαινον βασιλίδος ἐχούσης μέν τι (sic!) *μέμψεως, καλῆς δὲ ὅμως.*

Miro sane modo istis versibus vituperatio et laus ita conjunguntur, ut haec in illa ipsa posita sit atque semper tamen praeponderet.

36. Athen. X p. 420 e. f. *οἱ δὲ νῦν συνάγοντες τὰ δεῖπνα καὶ μάλιστα οἱ ἀπὸ τῆς καλῆς Ἀλεξανδρείας βοῶσι, κεκράγασι, βλασφημοῦσι τὸν οἰνοχόον, τὸν διάκονον* etc. *καὶ τοῖς δειπνοῦσι δ' ἂν εἴποι ὁ τοιοῦτος·* (*B* 381) '*νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν Ἄρηα.*'

Quibus verbis cum Agamemno Danaos ad coenandum hortaretur, ut satiati deinde in aciem exirent, illud dictum pervulgatum jocose adhibebatur de conviviis hominum litteratorum, quorum sermones convivales saepe in jurgia ac convicia abire solebant. Quod quomodo factum sit, Plutarchus depingit in quaest. conviv. IX, 1, 1: *ἀκμὴν ἡ τῶν διδασκάλων ἅμιλλα καὶ φιλονεικία σφοδροτέραν ἔλαβεν ἐν ταῖς κύλιξι γενομένων. ἤδη δὲ καὶ προτάσεις καὶ προκλήσεις ἦσαν ἄκριτοι καὶ ἄτακτοι,* qui alio loco (I, 1, 3) eundem versum laudat: *ἐκφεύγοντα τοῦτο δὴ τὸ παιζόμενον οὐκ ἀηδῶς πρὸς τοὺς ἐρίζοντας καὶ σοφιστιῶντας· 'νῦν δ' ἔρχεσθ''* etc. Praeterea illud ludibrium commemorant Macrob. Sat. VII, 1, 23 et Eustath. ad *B* 381 p. 242, 25 et ad γ 436 p. 1476, 4.

37. Lucian. sympos. 12. *ἐπεισέπαισεν ὁ Κυνικὸς Ἀλκιδάμας ἄκλητος, ἐκεῖνο τὸ κοινὸν ἐπιχαριεντισάμενος* (*B* 408) *τὸν Μενέλαον αὐτόματον ἥκοντα. τοῖς μὲν οὖν πολλοῖς ἀναίσχυντα ἐδόκει πεποιηκέναι καὶ ὑπέκρουον τὰ προχειρότατα, ὁ μὲν τὸ* (*H* 109) '*ἀφραίνεις Μενέλαε*', *ὁ δ'* (*A* 24) '*ἀλλ' οὐκ Ἀτρείδῃ Ἀγαμέμνονι ἥνδανε θυμῷ*' *καὶ ἄλλα πρὸς τὸν καιρὸν εὔστοχα καὶ χαρίεντα ὑποτονθορύζοντες.*

Versum Il. *B* 408 '*αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος*' etiam Plut. quaest. conviv. I, 2, 3 cum dicit: '*ἄτοπος μὲν οὖν καὶ παροιμιώδης Μενέλαος, εἴ γε σύμβουλος ἐγένετο μὴ παρακεκλημένος*', proverbii locum obtinuisse affirmat, quod sive ab iis sive de iis adhibebatur, qui non vocati ad coenam ibant. Similia duo ap. Zenob. II, 46, Paroem. Gr. ed. Leutsch I p. 44 exstant; cf. ibid. II p. 748 inter mantissae proverbia I, 30; Athen. V p. 178; Eustath. ad *B* 408 p. 247, 31.

(Non inepte ap. Lucianum Aristaeneti convivae ad Cynici importunitatem — quamquam voce suppressa — respondent, cf. p. 13 med.)

Sed jam satis lusit satyrus: videamus etiam, qua ratione in seriis veteres ingenii acumen declaraverint. Non semper nimirum ne cottidianae quidem vitae facetiis jocum excitari necesse est: pro ludibrio etiam officium et blanditia inesse potest. Ejusmodi generis illustrissimum exemplum habemus apud

38. Philostr. v. sophist. I, 21, VIII (ed. K. p. 35). Cum Polemo sophista primum a Smyrnaeis legatus in re gravissima mitteretur, quod Scopelianus, orator praeclarissimus, qui antea Smyrnaeorum lega-

tiones obierat, jam consenescebat, *εὐξάμενος ὑπὲρ τῆς ἀγαθῆς τύχης ἐδεῖτο γενέσθαι οἱ τὴν τοῦ Σκοπελιανοῦ πειθὼ καὶ περιβαλὼν αὐτὸν ἐπὶ τῆς ἐκκλησίας·* (cf. *Π* 40 sq)

'δὸς δέ μοι ὤμοιιν τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι,
αἴ κ' ἐμὲ σοὶ ἴσκωσι'

μάλα ἀστείως ὁ Πολέμων τὰ ἐκ Πατροκλείας ἐπεῖπε τῷ ἀνδρί.

Summa profecto cum urbanitate Polemo verba *τὰ σὰ τεύχεα θωρηχθῆναι* ad facundiae arma transtulit, verecunde atque eleganter ea a Scopeliano petens tamquam Patroclus ab Achille.

Sed totum genus habemus artificiosius facetiarum, quod huc spectat, quod plerumque philosophos ac rhetores exercuisse videbimus. Adhibebant enim Homeri versus e sententiarum conexu solutos ad exprimendam unam quandam notionem, quam minus distincte paucis verbis reddere possumus, veluti v. *π* 72 al. significabant notionem 'defendendi injurias', v. *Ν* 131 'fortiter ac strenue' (*οὕτω στῆτέ μοι*), v. *Ι* 313 'ductum figuratum', v. *ψ* 296 'moderatum ac legitimum Veneris usum'.

Quae apophthegmata suo loco hic collocata esse nemo negabit considerans, quam nihil ad Homerum tales notiones attinuerint, quarum pars etiam prorsus abhorret a sensu Homerico.

39. Gnomol. Vatic. ed. Sternbach l. l. nr. 360. *ὁ αὐτὸς* (Isocrates) *ἐρωτηθεὶς, τί δύναται ἡ ῥητορική, εἶπεν·* (*π* 72 al.) *'ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.'*[1])

Sternbachius adnotat Demostheni hoc dictum in gnomicis Basil. (i. e. in Parallelis, cf. Wachsm. in Mus. Rh. XXXVII p. 506 sqq) 195 p. 169 et in gnom. cod. Pal. 122f. 186ᵛ n. 137 vindicari eodemque versu ad genus judiciale definiendum auctorem anonymum ap. Eustath. ad *π* 72 p. 1794, 29 uti, cuius Eustathius etiam ad *Ψ* 543 p. 1315, 38 mentionem facit. Haud dubie hoc accuratius est, cum non omne genus dicendi ad defensionem pertineat. Eadem de causa aptius mihi esse videtur non tam Isocratem, qui demonstrativo genere dicendi florebat, quam Demosthenem illius apophthegmatis auctorem ponere.

In proverbium nostrum versum abisse schol. ad. *Ω* 369 testatur, cuius usus Suet. Claud. 42 (Dio Cass. LX, 16, 7; Joan. Zonar. annal. XI, 9) exemplum praebet. Claudius enim, qui nullam injuriam impunitam dimittebat, 'quotiens hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno signum de more poscenti non temere aliud dedit quam '*ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι*'' etc.

---

[1]) De scripturis *ἐπαμύνασθαι* et *ἀπαμύνασθαι*, quam plerique Homeri codd. habent, cf. Sternbachii adnotationem criticam.

40. Philostr. v. sophist. I, 20, II (ed. K. p. 27). Isaei Assyrii, quem Plinii minoris temporibus vixisse cognitum habemus (cf. Plin. epist. II, 3), dicendi genus simplex ac rei conveniens Philostratus laudat, maxime autem praecise dicere et in pauca verba sententiam conferre illius sophistae proprium fuisse premit, cuius artis hoc potissimum profert exemplum: *τοὺς μὲν Λακεδαιμονίους ἀγωνιζόμενος τοὺς βουλευομένους περὶ τοῦ τείχους ἀπὸ τῶν Ὁμήρου ἐβραχυλόγησε τοσοῦτον·* (*Ν* 131) *"ἀσπὶς ἄρ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ·' οὕτω στῆτέ μοι, Λακεδαιμόνιοι, καὶ τετειχίσμεθα.'*

Haec verba sic intellegenda sunt Isaeum, cum Lacedaemonios de muris consultantes declamatione tractaret[1]) (*ἀγωνιζόμενος*), summam eloquentiae in versum illum Homericum constrinxisse, quo monuit aciem militum fortium et bona disciplina institutorum firmissimum civitati murum esse.

41. Apud Philostr. v. sophist. I, 25, VII (ed. K. p. 49) Herodes Atticus de Polemonis oratione fervida ac clare sonante subtile facit judicium: *Μάρκου δὲ τοῦ αὐτοκράτορος πρὸς αὐτὸν εἰπόντος· 'τί σοι δοκεῖ ὁ Πολέμων;' στήσας τοὺς ὀφθαλμοὺς*[2]) *ὁ Ἡρώδης·* (*Κ* 535) *'ἵππων μ' (ἔφη) ὠκυπόδων ἀμφὶ κτύπος οὔατα βάλλει' ἐνδεικνύμενος δὴ τὸ ἐπίκροτον καὶ τὸ ὑψηχὲς τῶν λόγων.*

Similiter alio loco (I, 25, X) Philostratus *τὴν ἰδέαν τῶν Πολέμωνος λόγων* appellat *θερμὴν καὶ ἐναγώνιον καὶ τορὸν ἠχοῦσαν ὥσπερ τὴν Ὀλυμπιακὴν σάλπιγγα.*

42. In aestimanda ejusdem sophistae facultate dicendi Philostr. v. sophist. I, 25, X (ed. K. p. 53) hoc exhibet: *τὴν αὐτὴν ὁρῶ διαμαρτίαν καὶ περὶ τοὺς ἡγουμένους αὐτὸν* (Polemonem) *ἐκφέρεσθαι τῶν ἐσχηματισμένων ὑποθέσεων εἰργόμενον τοῦ δρόμου, καθάπερ ἐν δυσχωρίᾳ ἵππον, παραιτούμενόν τε αὐτὰς τὰς Ὁμηρείους γνώμας εἰπεῖν·* (*Ι* 312 sq)

'ἐχθρὸς γάρ μοι κεῖνος ὁμῶς Ἀίδαο πύλῃσιν,
ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.'

ταῦτα γὰρ ἴσως ἔλεγεν αἰνιττόμενος καὶ παραδηλῶν τὸ δύστροπον τῶν τοιούτων ὑποθέσεων, ἄριστα δὲ κἀκεῖνα ἠγωνίσατο, ὡς δηλοῦσιν ὅ τε μοιχὸς ὁ ἐγκεκαλυμμένος καὶ ὁ Ξενοφῶν ὁ ἀξιῶν ἀποθνήσκειν ἐπὶ Σωκράτει etc. *ἐν γὰρ ταύταις μάλιστα τῶν ὑπ' αὐτοῦ κατὰ σχῆμα προηγμένων ἡνία τε ἐμβέβληται τῷ λόγῳ καὶ τὸ ἐπαμφότερον αἱ διάνοιαι σώζουσιν.*

Quid valeant in arte rhetorica *αἱ ἐσχηματισμέναι ὑποθέσεις*[3]), Hermogenes *π. εὑρ.* IV c. 13, Rhet. Gr. ed. Walz III p. 184 definit:

---

[1]) Ejusmodi suasorias in Graecorum rhetorum scholis maxime semper excultas fuisse, cum in Latinis scholis potius controversiae primas tenerent, Friedlaender in hist. mor. Rom. III⁵ p. 345 sqq exposuit.

[2]) H. e. in certum quendam locum oculos defigens, ut ii facere solent, qui strepitum subaudiunt.

[3]) Sive *προβλήματα, ζητήματα, ἀγῶνες*: hoc genus dicendi, in quo veteres complures discernebant rationes, uberius explicavit atque exemplis demonstravit Volkmannus, ars rhet. Gr. et Rom. p. 133 sqq.

ἐσχηματισμένα καλεῖται ... προβλήματα, ἐπειδὴ τὰ αὐτὰ δεῖ λέγεσθαι νοήματα, ἅπερ, εἰ καὶ μὴ ἐσχηματισμένως ἐμελετῶμεν, εἴπομεν ἄν etc. *Μελετᾶται δὲ ... ἵνα τις ἄντικρυς λέγων τὸ πρᾶγμα μὴ δοκῇ λέγειν.* Itaque verba ejus, qui 'ductu figurato', ut Romanorum rhetores dicunt, loquitur, ita instituta sunt, ut aliud dicat, aliud velit orator, quod non aperte verbis indicatur, sed ex toto orationis habitu auditorem intellegere necesse est, veluti Agamemno *B* 140 Graecos monet: '*φεύγωμεν,*' revera id oratione sua studens, ut fortius Trojanos aggrediantur (cf. Eustath. ad *B* 108 p. 185, 23). Ejusdem modi etiam ea Polemonis argumenta fuisse putandum est[1]), quae Philostratus commemorat: *ὁ Σόλων* enim *ὁ αἰτῶν ἀπαλεῖφειν τοὺς νόμους λαβόντος τὴν φρουρὰν τοῦ Πεισιστράτου* revera hoc persequitur, ut cives, quam bonae necessariaeque civitati leges sint, cognoscant eoque magis illarum status firmetur. Ad hunc igitur ductum figuratum, quo aliud verbis suadebat orator, aliud persequebatur, quem Philostrato quidem teste artificiose tractare sciebat, attamen parum amasse[2]) videtur Polemo, facete transtulit Homeri verba '*ὅς χ' ἕτερον μὲν κεύθῃ ἐνὶ φρεσίν, ἄλλο δὲ εἴπῃ.*'

43. Stob. flor. LXXIV, 32. *Θεανὼ ἡ Πυθαγόρειος ἐρωτηθεῖσα, πῶς ἔνδοξος ἔσται, ἔφη·* (*A* 31) '*ἱστὸν ἐποιχομένη καὶ ἐμὸν λέχος ἀντιόωσα.*'

De Theano, sapientissima illa Pythagorea, quam aut uxorem aut filiam Pythagorae fuisse dicebant, cf. Zeller, hist. philos. Gr. I^4 p. 288 adn. 1 et Mullach, frg. philos. Gr. II p. LVI. Inter scripta, quae sub illius nomine ferebantur, Suidas s. v. commemorat *ἀποφθέγματα.* Ea, quae Mullachius p. 115 sq Theanus collegit dicta, pleraque ad vitam uxoriam pertinent. Pariter nostro loco Theano docet veram mulieris gloriam non in virilibus virtutibus veluti in fortitudine aut doctrina quaerendam esse, sed in persequendis iis officiis, quae mulierem decent: in diligentia[3]) domestica et uxoria caritate (cf. simillimum dictum ap. Stob. flor. LXXIV, 55: *Θ. ἡ Πυθαγορικὴ φιλόσοφος ἐρωτηθεῖσα, τί πρέπον εἴη γυναικί· 'τὸ τῷ ἰδίῳ, ἔφη, ἀρέσκειν ἀνδρί.'*).

---

[1]) Quod argumentum lateat sub titulo *ὁ μοιχὸς ὁ ἐγκεκαλυμμένος,* certo restituere non possumus; tamen mihi non improbabile videtur aut idem aut simile fuisse ei, quod Fortunat. a. rhet. I, 6 (Rhet. Lat. min. ed. Halm p. 85 lin. 24) ductus figurati exemplum profert (cf. idem ap. Marcellinum, Rhet. Gr. ed. Walz IV p. 103 et Hermog. *π. εὑρ.* IV c. 13, Rhet. Gr. ed. Walz III p. 186): 'adulteros liceat occidere. Infamis fuit in nurum; invenit filius adulterum obvoluto capite nec eum occidit. Interrogatur a patre, qui fuit adulter, cui pepercit; non dicit et abdicatur.' Codicum profecto scriptura utique mihi servanda videtur nec commutanda in *ἐκκεκαλυμμένος,* quod ex Theod. Heysii conjectura Kayser in editionem recepit.

[2]) Rhetoribus quibusdam illud genus dicendi offensum fuisse ex Dionys. Halic. a. rhet. IX, 1 in. (de oratione figur. tract. II) intellegimus.

[3]) In artibus nendi et texendi Homerum totam mulieris industriam complecti cum ex aliis apparet, tum ex Hectoris verbis *Z* 490 sqq:

ἀλλ' εἰς οἶκον ἰοῦσα τὰ σ' αὐτῆς ἔργα κόμιζε,
ἱστόν τ' ἠλακάτην τε, καὶ ἀμφιπόλοισι κέλευε
ἔργον ἐποίχεσθαι· πόλεμος δ' ἄνδρεσσι μελήσει.

44. Laert. Diog. II, 21. *γνόντα δὲ* (Socratem) *τὴν φυσικὴν θεωρίαν μηδὲν εἶναι πρὸς ἡμᾶς, τὰ ἠθικὰ φιλοσοφεῖν ἐπί τε τῶν ἐργαστηρίων καὶ ἐν τῇ ἀγορᾷ (Δημήτριός φησιν ὁ Βυζάντιος) · κἀκεῖνα δὲ φάσκειν ζητεῖν,* (*δ* 392) '*ὅττι τοι ἐν μεγάροισι κακόν τ' ἀγαθόν τε τέτυκται.*'

Philosophiae suae summam Socrates dicto illo comprehendere solebat, quem inter omnes constat naturalem philosophiam prorsus sprevisse, quia neque quicquam certi in istis studiis cognosceremus neque utilitatem ex iis perciperemus, atque etiam artes liberales veluti geometriam eo usque exercendas voluisse, quoad necessariae essent ad vitae usum (Xenoph. mem. I, 1, 11; IV, 7; Zeller l. l. II^3, 1 p. 112 sqq), contra virtutis, officii, bene vivendi disciplinam summopere pressisse. Moralis autem philosophiae notio continetur illo versu Homerico '*ὅττι τοι ἐν μεγάροισι*' etc. Vis boni (h. e. virtutis) et mali manifesto apparet. Non minus respicienda sunt verba *ἐν μεγάροισι,* in quibus latet notio vitae cottidianae, ad quam bene instituendam tota Socratis disciplina spectabat.[1])

Idem dictum in veterum scriptis saepius invenimus cf. Sext. Emp. adv. dogm. I, 21; V, 2; Euseb. praep. ev. XV, 62, 11; Gell. n. A. XIV, 6; Muson. ap. Stob. ecl. II, 31, 126 (ed. W. II, 245, 6) = flor. 'Joan. Damasc.' 126 (ed. Mein.); Plut. de san. praec. 1; de commun. not. 11. Quod Plutarchus ex stromat. opere frg. IX (ed. Duebner V p. 16) et Euseb. praep. ev. I, 8, 9 Aristippo Cyrenaico, Diocles ap. L. D. VI, 103 Diogeni Cynico Socratis verba tribuunt, non mirandum est, cum uterque in repudianda physiologia Socratem secutus facile etiam illud facete dictum in rem suam convertere potuerit.

45. Stob. flor. V, 59. *Δημήτριος ὁ Φαληρεὺς εἰς σωφροσύνην ἔλεγε ταῦτα ποιεῖν·* (*ψ* 296) '*ἀσπάσιοι λέκτροιο παλαιοῦ θεσμὸν ἵκοντο.*'

Demetrius cum declarat temperantiam efficere, ut legitumae ac rarae Veneri indulgeamus, urbane Homeri verbis utitur, quibus ille depingit, ut Ulixes et Penelope primum post multorum annorum intervallum genialem lectum ascendant. Duo in illo versu animadvertenda sunt. Primum enim etsi doctissimi quidam recentiores Homeri interpretes (cf. lex. Hom. ed. Ebeling s. v. p. 564) voce *θεσμοῦ* denotari voluerunt 'locum, quo quid statuatur,' tamen ex hoc ipso dicto incertum non relinquitur, quin jam Demetrius Homeri verba item acceperit atque scholiasta exponat: *ἀσπαστῶς καὶ ἐπιθυμητικῶς ὑπεμνήσθησαν τοῦ πάλαι τῆς συνουσίας νόμου.* Nam procul dubio Demetrius hoc premit, hominem moderatum non illicito se dedere amori, sed justi matrimonii voluptate

---

[1]) Quare eleganter Cicero his verbis Socratis philosophiam designat Tuscul. V, 4, 10: Socrates primus philosophiam devocavit e caelo et in urbibus conlocavit et in domus etiam introduxit et coegit de vita et moribus rebusque bonis et malis quaerere. Cf. etiam simile Varronis de Socrate judicium Acad. I, 4, 15.

amatoria contentum esse. Deinde verbo *παλαιοῦ λέκτροιο*, cui haec vis admixta est: quo diu caruerant (cf. schol. *τοῦ πάλαι τῆς συνουσίας νόμου*), nescio an illud Demetrius moneat, ne nimis frequenter repetantur ista gaudia.

Atque in his quidem, quos hactenus protuli, locis facetiae ducuntur sola ex condicione, qua laudantur versus, quod ad eos potissimum homines sive res transferuntur, ad quos eidem versus apud Homerum minime spectant. Novum genus leporis exsistit e verborum duplici vi, h. e. si duae significationes sub eodem vocabulo latent, quarum altera apud Homerum valet, alteram ii, qui usurpant versum, expressam volunt, ut novus evadat totius enunciati sensus alienus a verbis Homeri prorsus integris. Rarius quam in ceteris veterum maximeque Cynicorum facete dictis (cf. Wachsm. sillogr. p. 71) verborum ipsa amphibolia adhibetur, ut neque proprius sensus Homericus a loco alienus sit et altera notio elegantem reddat verborum ambiguitatem (cf. tamen nr. 56). Quod non est mirum, cum illud genus leporis per se non facile ad exercendum multo etiam difficilius in versibus usurpetur.

Duas autem rationes statuere possumus, in quibus duplex ista verborum notio posita sit: aut enim eadem vox varia significat (nr. 46—53) aut una forma variis modis definiri atque ex duobus diversis vocabulis duci potest, id quod maxime cadit in eas formas, quae simul nomina propria possunt intellegi (nr. 54—56).

46. David. schol. in Aristot. Categ. p. 23 b 11. *φαίη γὰρ ἂν ἡ Τύχη πρὸς Ἀντισθένην τὸν προστάτην τῆς αἱρέσεως ταύτης οὕτως·* (*Θ* 297. 299)

'ἐννέα δὴ προέηκα τανυγλώχινας ὀιστούς,
τοῦτον δ' οὐ δύναμαι βαλέειν κύνα λυσσητῆρα.'

Stob. ecl. II, 8, 21 (ed. W. II, 157, 10); Eustath. ad *Θ* 297 p. 714, 21; scriptor orationis de Fortuna (Dio Chrysost. or. LXIV p. 336 R) Diogeni vindicant idem dictum (cuius Stobaeus [1]) solum alterum versum exhibet), quod ad laudationem canis pertinet, qua Cynici canis nomen opprobrii causa ab adversariis sibi inditum in honestam significationem verterunt (cf. Duemmler, Antisth. p. 74).

Notissima est principalis illa Cynicorum philosophiae indoles, quam Antisthenes facetiis tangit, Fortunae nihil cedere neque malis ejus magis quam bonis commoveri; quod principium saepissime eorum dictis pressum videmus cf. L. D. VI, 38. *Διογένης ἔφασκε ἀντιτιθέναι τύχῃ μὲν θάρσος, νόμῳ δὲ φύσιν, πάθει δὲ λόγον.* ib. 63. *Διογένης ἐρωτηθείς, τί*

---

1) *Διογένης ἔφη νομίζειν ὁρᾶν τὴν Τύχην ἐνορῶσαν αὐτῷ καὶ λέγουσαν· 'τοῦτον δ' οὐ δύναμαι'* etc.

αὐτῷ περιγέγονεν ἐκ φιλοσοφίας, ἔφη· 'εἰ καὶ μηδὲν ἄλλο, τὸ γοῦν πρὸς πᾶσαν τύχην παρεσκευάσθαι.' ib. 105. (*ἀρέσκει αὐτοῖς*) *τύχῃ μηδὲν ἐπιτρέπειν.* Lepide igitur Fortuna fingitur *ἀδιαφόροις* [1]) usa telis, quibus frustra germanum petat Cynicum. — In vocis *κύων* ambiguitate pariter lusit Lucian. Drapet. 30.

In Aristotelis scholiastae scriptura *ἐννέα δὴ προέηκα* etc., cum Homeri codices omnes *ὀκτώ* exhibeant, vetus videtur lectio servata esse ex Homeri studio novenarii numeri jam a veteribus cognito exorta [2]), pro qua alii illum numerum interpretati *πολλούς* posuerint, quod et Eustath. l. l. praebet et scriptor orationis de Fortuna legit, qui l. l. prosa oratione de Fortuna reddit *'ὡς πολλὰ μὲν βέλη ἐφιείσης.'*

47. Laert. Diog. VI, 57. *θεασάμενός ποτε* (Diogenes) *πορφυροκλέπτην πεφωραμένον ἔφη·* (E 83 al.) *'ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.'*

Πορφύρεος θάνατος hic non atram mortem, sed supplicium ob purpurae furtum constitutum significat. Ipsum purpurarium propter fraudes capite damnatum versu illo jocantem facit Eustath. ad E 83 p. 524, 46.

48. Eodem versu Alexandrum Magnum cavillatus est Theocritus Chius, qui altera parte saeculi quarti floruit, cuius dicacitatis Athenaeus, Plutarchus, Stobaeus, alii nonnulla servaverunt testimonia. Theocriti vitam descripserat Ambryo (cf. L. D. V, 11), de quo ceteroquin nihil constat.

Athen. XII p. 539 f. *ἔγραψε δὲ καὶ τότε Ἀλέξανδρος ταῖς ἐν Ἰωνίᾳ πόλεσι καὶ πρώτοις Χίοις, ὅπως αὐτῷ πορφύραν ἀποστείλωσιν. ἤθελε γὰρ τοὺς ἑταίρους ἅπαντας ἁλουργὰς ἐνδῦσαι στολάς. ἀναγνωσθείσης δὲ τῆς ἐπιστολῆς Χίοις παρὼν Θεόκριτος ὁ σοφιστὴς νῦν ἐγνωκέναι ἔφη τὸ παρ' Ὁμήρῳ εἰρημένον· τὸν δ' 'ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή.'*

Eadem narratiuncula exstat ap. Plut. de puer. ed. 14, qui Theocriti dictum tale exhibet: *'πρότερον μέν, ἔφησεν, ἠμφισβήτουν, νῦν δὲ ᾔσθημαι σαφῶς, ὅτι ὁ πορφύρεος Ὁμήρου θάνατος οὗτός ἐστιν.' ἐξ ὧν ἐχθρὸν ἐκτήσατο τὸν Ἀλέξανδρον.* Purpurea mors a Theocrito salse definitur interitus multis purpuris parandis conflatus Chiis. [3])

Quod Theocritum illo apophthegmate Alexandri inimicitias suscepisse Plutarchus vult, optime convenit cum iis, quae ceteroquin de Theocrito memoriae tradita sunt: qui homo maxime popularis et Alexan-

---

1) Hanc appellationem jam Cynicis usitatam fuisse L. D. VI, 105 testatur.

2) Cf. schol. ad *Z* 174; *M* 25. Sexcenties etiam Eustathius Homeri in illum numerum favorem, quem maxime propter novem Musarum numerum, deinde propter Pythagoreorum numeri rationes amet, urguet veluti ad *A* 54 p. 45, 37; ad *B* 96 p. 180, 13; ad *H* 161 p. 673, 31; ad *Θ* 266 p. 712, 5 etc.

3) Prave Eustath. ad *Y* 476 p. 1213, 60 sqq Theocriti verba explicavit: *αἰνιττόμενος ἐκεῖνος* (Theocritus) *πορφύρεον θάνατον ἢ ὃν πάσχουσιν αἱ πορφύραι διὰ τὴν ἐξ αὐτῶν βαφὴν ἢ καὶ ὅτι θανατηρὰ πείσονται οἱ πορφυρέες, εἴ τι πονηρεύονται περὶ τὴν ἄγραν τῆς πορφύρας, τὸ δ' ὅμοιον καὶ οἱ βλάπται* (conicio *βάπται*), *εἴ τι βλάπτουσι τὰς πορφυρίδας.*

drum mortuum (cf. Clem. Alex. protrept. X, 97) et Aristotelem, quod in Macedonum aula vivebat (cf. L. D. V, 11; Plut. de exil. 10; Euseb. praep. ev. XV, 2, 12), et Antigonum *Μονόφθαλμον*, regem Macedonum, (cf. Plut. quaest. conviv. II, 1, 9; id. de puer. ed. 14; Macrob. Sat. VII, 3, 12) acerbis facetiis irrisit, Theopompo autem historico, qui Alexandri praesidio tectus Chiorum optimatibus praeerat, vehementissime in republica repugnavit (cf. Suid. s. v. *Θεόκριτος*; Strab. XIV, 1, 35 p. 645 C).

49. Tertia denique ratione eodem versu urbane usus est Flavius Claudius Julianus ap. Ammian. Marc. XV, 8, 17. Cum enim a. 355 ab imperatore Constantio, fratre patrueli, sed eodem viro suspicioso atque imperioso, Caesar proclamaretur, et alii hoc fieri putabant, ut ad interitum vocaretur (cf. XVI, 11, 13), et ipse ultima timebat, praesertim cum paulo ante Gallus, frater illius item Caesar, Constantii jussu in itinere interfectus esset (cf. XIV, 11). Itaque cum 'imperatorii muricis fulgore flagraret', 'susceptus ad consessum vehiculi receptusque in regiam hunc versum ex Homerico carmine susurrabat '*ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή*'', dignitatem Caesarianam ut mortem pallio purpureo involutam significans.

50. Stob. flor. LXXXII, 12 = ecl. II, 2, 19 (ed. W. II, 23, 21). *Θεόκριτος πρός τινα διαλεκτικὸν συντεταμένως αὐτῷ καὶ ἐριστικῶς ἀποκρινόμενον ἔφη·* (Σ 107) '*ὡς ἔρις ἔκ τε θεῶν ἔκ τ' ἀνθρώπων ἀπόλοιτο.*'

Manifestum est vocem *ἔριδος* in hoc dicto non generaliter pugnam denotare, sed artem dialecticam, quae a Socratis discipulis maximeque a Megarensibus excolebatur. A qua quantopere abhorruerit Theocritus, ex alia liquet narratiuncula ap. Stob. flor. XXXVI, 27: *ἐριστικοῦ ἀνδρὸς ἐρωτῶντος αὐτὸν* (Theocritum), *εἰ ἡ ἀρετὴ ὠφέλιμος, ἀνένευσεν οὐ βουλόμενος παρασχεῖν αὐτῷ ἐκ τῆς ἀποκρίσεως ἀφορμὴν εἰς ἔριν.*

Hoc dialecticae taedium haud scio an a Theocriti magistro Metrodoro ducendum sit, quem Suid. s. v. *Θεοκρ.* Isocraticum appellat. Isocratem enim, qui demonstrativum genus dicendi ad summam duxit perfectionem, scimus neque Socratis ratione ac disciplina magnopere delectatum esse et ipsum artem dialecticam contempsisse.[1])

51. Laert. Diog. V, 5. *ὁ δ' οὖν Ἀριστοτέλης ἐλθὼν εἰς τὰς Ἀθήνας καὶ τρία πρὸς τοῖς δέκα τῆς σχολῆς ἀφηγησάμενος ἔτη ὑπεξῆλθεν εἰς Χαλκίδα, Εὐρυμέδοντος αὐτὸν τοῦ ἱεροφάντου δίκην ἀσεβείας γραψαμένου ἢ Δημοφίλου .... ἐπειδήπερ τὸν ὕμνον ἐποίησεν εἰς τὸν προειρημένον Ἑρμείαν* etc. 9: *τοῦτον*

[1]) Hoc perspicue apparet ex ejus oratione *κατὰ τῶν σοφιστῶν* 1 et 11, in qua utrum Socraticorum — cf. Ueberweg in Philol. XXVII p. 175 sqq — an Protagorae et Gorgiae discipulorum impugnet artem dialecticam, id quod rectius mihi videtur Blassius, eloqu. Att. II p. 22 contendisse, ad nostram rem nihil interest, cum inter sophistarum et Megarensium artem dialecticam magna intercedat similitudo, cf. Heinze, hist. philos. I[7] p. 119.

πρῶτον Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ λόγον δικανικὸν ὑπὲρ ἑαυτοῦ συγγράψαι φησὶν ἐπ' αὐτῇ ταύτῃ τῇ δίκῃ καὶ λέγειν ὡς Ἀθήνησιν (η 120 sq) '*ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ.*'

Idem dictum referunt Aelian. v. h. III, 36; Eustath. ad η 120 p. 1573, 14; Ammon. v. Aristot. (Biogr. ed. Westermann p. 400); v. Marc. 8; Ammon. lat. 17.

Verbo *σῦκον ἐπὶ σύκῳ* Aristoteles attingit sycophantiam Atheniensium, qui compluribus ante eum philosophis insidias paraverant, quibus Anaxagoras et Protagoras coacti sunt ex urbe subterfugere, Socrates etiam mortem obiit. Pari modo ludens voce *σῦκον* Axionicus comicus cavillatur Calliam oratorem in comoedia Phileuripide ap. Athen. VIII p. 342 c.[1])

Contracta illa forma, qua Aristoteles versus Homericos usurpat (nunc legimus pleniores η 120 sq:

ὄγχνη ἐπ' ὄγχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ,
αὐτὰρ ἐπὶ σταφυλῇ σταφυλή, σῦκον δ' ἐπὶ σύκῳ),

vetus videtur lectio fuisse, quam affirmat Athen. I p. 25 a, qui plane alio conexu eosdem versus pariter decurtatos laudat.

52. Laert. Diog. IV, 64. *οὗτός ποτε* (Carneades) *Μέντορος τοῦ Βιθυνοῦ μαθητοῦ ὄντος καὶ παρ' αὐτὸν ἐλθόντος εἰς τὴν διατριβήν, ὡς ἐπείρα αὐτοῦ τὴν παλλάκην ὁ Μέντωρ, καθά φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπῇ ἱστορίᾳ, μεταξὺ λέγων παρῴδησεν εἰς αὐτόν·*

(δ 384) '*πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος νημερτής,*
(β 268 al.) *Μέντορι εἰδόμενος ἠμὲν δέμας ἠδὲ καὶ αὐδήν.*
(Soph. Ant. 203) *τοῦτον σχολῆς τῆσδ' ἐκκεκηρῦχθαι λέγω.*'

καὶ ὃς ἀναστὰς ἔφη· (β 8) '*οἱ μὲν ἐκήρυσσον, τοὶ δ' ἠγείροντο μάλ' ὦκα.*'

Jam in tabulis Solonis ap. Plut. v. Sol. 23: *πλὴν ὅσαι πεφασμένως πολοῦνται*[2]), *λέγων δὴ τὰς ἑταίρας· αὗται γὰρ ἐμφανῶς φοιτῶσι πρὸς τοὺς διδόντας*, etsi Lysias in or. c. Theomn. I, 19 simpliciter explicat: *τὸ μὲν πεφασμένως ἐστὶ φανερῶς, πολεῖσθαι δὲ βαδίζειν*, voci *πολεῖσθαι* sine dubio subjecta est quaedam vis inhonesti, quam expresse confirmat Didymus ap. Harpocr. s. v. *πωλῶσι* (cf. etiam Suid. s. v.) ad Demosth. Neaer. 1367 fin: '*ἢ ἐν τῇ ἀγορᾷ πωλῶσί τι ἀποπεφασμένως.*' *Δίδυμός φησιν ἀντὶ τοῦ πορνεύωσι φανερῶς. πωλεῖν γὰρ τὸ παρέχειν ἑαυτὴν τοῖς βουλομένοις, ὅθεν καὶ τὸ πορνεύειν, ὅπερ ἐστὶ περνάναι* etc. Eundem sensum Carneades in dicto suo urguet. Praeterea fortasse in voce *γέρων* acerbum latet ludibrium in Mentoris corpus infirmum, ut qui virili robore careat; sed non constat, qua fuerit statura. Mentoris nomen et familiari Ulixis

[1]) *βοᾷ δ' ὄνειδος ἴδιον, ὦ Καλλία,*
εἰ σὺ μὲν ἀμφί τε σῦκα καὶ ἀμφὶ ταρίχι' ἀγάλλῃ,
τοῦ δ' ἐν ἅλμῃ παρεόντος οὐ γεύῃ χαρίεντος ὄψου,
τὰ μὲν σῦκα ὡς ἂν συκοφάντην λοιδορῶν, τὰ δὲ ταρίχη μήποτε καὶ ὡς αἰσχροποιοῦντος.

[2]) De ratione scribendi *πωλεῖσθαι* vel *πολεῖσθαι* cf. quae Lobeckius ad Phryn. p. 583 disputat et Westermann, ad Plut. v. Sol. c. 23 p. 57.

(Homerus semper de Athena dicit *Μέντορι εἰδομένη*) et discipulo Carneadis commune facile in parodia potuit transferri. Tertius denique versus ex Soph. Ant. 203 detortus est, ubi legimus: *τοῦτον πόλει τῇδ' ἐκκεκήρυκται τάφῳ* etc. Non sine arte colligati sunt duo versus e diversis Homeri locis sumpti cum illo Sophocleo, cuius rhythmus rapacior ad sententiam accommodatissimus est. De hac senarii cum duobus hexametris conjunctione, quae omnino non aliena est a poesi ludibunda, cf. Wachsm. sillogr. p. 63.

De Mentore, assectatore non successore Carneadis, praeter hanc narratiunculam nihil videtur traditum esse. — Idem nostrum dictum etsi non ipsis verbis reddit, tamen attingit Numenius ap. Euseb. praep. ev. XIV, 8, 13, qui bene addit de Mentore: *ὁ δ' ἀποστὰς ἀντεσοφίστευε καὶ ἀντίτεχνος ἦν, ἐλέγχων αὐτοῦ τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἀκαταληψίαν.*

53. Ex homonymia, ut grammaticorum utar significatione, vocis *κῆρυξ*, quae non solum praeconem, sed etiam bucinum ex conchyliorum genere (cf. Aristot. h. a. IV, 4; V, 15 al; Plin. n. h. IX, 36, 61) significat, lusit Charmus Syracusius, ut ap. Athen. I p. 4a refert Clearchus, Aristotelis discipulus: *Κλέαρχός φησι Χάρμον τὸν Συρακόσιον εὐτρεπίσθαι στιχίδια καὶ παροιμίας εἰς ἕκαστον τῶν ἐν τοῖς δείπνοις παρατιθεμένων.*[1]) *εἰς μὲν . . . εἰς δὲ τοὺς κήρυκας* (*Α* 334) '*χαίρετε κήρυκες, Διὸς ἄγγελοι.*'

Vocis *κήρυκος* ambiguitatem etiam Stratonicus in jocum vertit cf. Machon. ap. Athen. VIII p. 349 b. c; Eustath. ad P 323 p. 1108, 42 et ad *Ψ* 683 p. 1324, 24.

54. Laert. Diog. VI, 55. *ἀριστῶν* (Diogenes) *ἐλάας, πλακοῦντος ἐπειςενεχθέντος, ῥίψας φησίν·* (Eur. Phoen. 40) '*ὦ ξένε, τυράννοις ἐκποδὼν μεθίστασο*' *καὶ ἄλλοτε* (*Ε* 366 al.) '*μάστιξεν δ' ἐλάαν.*'

Jocatur Diogenes ambiguitate formae *ἐλάαν* usus, quae et infinitivus verbi *ἐλάω* (*ἐλαύνω*), ut est ap. Homerum, et accusativus substantivi *ἐλάα* definiri potest (de huius paenultima brevi usurpata cf. Mein. frg. com. Gr. III p. 503).

Eundem jocum Diogeni addicit Eustath. ad *Λ* 520 p. 860, 22; ad *Ν* 612 p. 949, 45; ad *η* 115 p. 1572, 35. Contra Athenaeus VI p. 246 a Philoxeno parasito vindicat: *Φιλόξενος δ' ὁ παράσιτος, Πτερνοκοπὶς δ' ἐπίκλην, παρὰ Πύθωνι ἀριστῶν, παρακειμένων ἐλαῶν καὶ μετὰ μικρὸν προςενεχθείσης λοπάδος ἰχθύων, πατάξας τὸ τρύβλιον ἔφη· '*μάστιξεν δ' ἐλάαν.*'* Quamquam Athenaeus, qui complures commemorat Philoxenos parasitos, quos cognominibus discernit, de nostri Philoxeni aetate nihil certi tradit, tamen si illud '*παρὰ Πύθωνι ἀριστῶν*' recte refero ad Pythonem Byzantium[1]), qui Isocratis schola eruditus Philippi regis res orator defendit, non errabimus medio fere saeculo quarto illam narratiunculam tribuentes.

[1]) Cavendum est, ne ex Suida s. v. *Χάρμος* (et *Ἀθήναιος*) falso concludamus illa Charmi facete dicta de singulis, qui apponuntur, cibis edita in poemate composita fuisse, quod *δειπνολογίαν* sive similibus nominibus veteres appellaverint. Immo altera pars eorum, quae legimus ap. Suidam, inde a verbis *Κλέαρχος δὲ ὁ Σολεύς* spectat ad Archestrati Hedypathiam et deprompta est ex Athen. I p. 4e.

Axionicus quoque exeuntis mediae comoediae poeta, qui etiam Alexandri aetatem attigit (cf. Mein. frg. com. Gr. I p. 418[2]), cum in fabula *Χαλκιδικός* inscripta parasitum inducit, qui juvenem se cum Philoxeno Pternocopide parasiticam artem coluisse narret, illum priore saeculi quarti parte floruisse testatur. Philoxeni dicacitas ex Athen. VI p. 242 b. c; 246 b; 241 e apparet, cf. Ribbeck, Kolax p. 80.

55. Strabo XIII, 1, 57 p. 610 C. *ἔστι δὲ ἡ Ἀσσὸς ἐρυμνὴ καὶ εὐτειχής, ἀπὸ θαλάττης καὶ τοῦ λιμένος ὀρθίαν καὶ μακρὰν ἀνάβασιν ἔχουσα· ὥστ' ἐπ' αὐτῆς οἰκείως εἰρῆσθαι δοκεῖ τὸ τοῦ Στρατονίκου τοῦ κιθαριστοῦ·* (*Ζ* 143. *Υ* 429) '*Ἀσσὸν ἴθ', ὥς κεν θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι.*'

Lepidissime Stratonicus ita Homeri versu utitur, ut *ἀσσον* velit intellegi non adverbium significans 'propius', sed accusativum nominis illius oppidi. Quo quidem in ludo accentus vocis commutatur (discrepant libri in accentu nominis Assi, sed Herodianus *π. καθ. προς.* VIII ed. Lentz I p. 208, 5 (Arcad. *π. τόνων* p. 76, 12) *Ἀσσός* scribendum esse docet).

Assi oppidi situm arduum ac deruptum firmat Steph. Byz. s. v. *Ἀσσός*, qui item Stratonici belle dictum laudat; cf. etiam Eustath. ad *Ζ* 143 p. 630, 1. Attamen sagacissime monuit Wachsm. sillogr. p. 128 multo aptius, quam Strabo aliique intellexerint, Stratonici apophthegma in notissimum illum lapidem Assium, quem *σαρκοφάγον* appellabant, referendum esse, in quo corpora defunctorum condita teste Plinio n. h. XXXVI, 17, 131 intra XL. diem absumebantur. Hoc modo et eam proprietatem Assi urbis Stratonicus tangit, qua multo magis quam praecipitiis nominis famam adepta erat, et illud '*θᾶσσον ὀλέθρου πείραθ' ἵκηαι*' elegantius de cadaverum celeri tabe dictum cognoscimus.

56. Simili modo vocabulo rem significanti nomen proprium subditur ap. Athen. XIII p. 563 f: *καί μοι δοκεῖ Ἀρίστων ὁ Κεῖος ὁ περιπατητικὸς οὐ κακῶς εἰρηκέναι ἐν τῷ δευτέρῳ περὶ τῶν ἐρωτικῶν Ὁμοίων πρός τινα Ἀττικόν, μέγαν τινὰ κατὰ τὴν ἡλικίαν ἐπιδεικνύντα ὡς καλὸν ᾧ Δῶρος ἦν*

[1]) Hunc inter omnes Pythones celeberrimum et notissimum esse puto, cuius obesitati non minus quam festivitati (cf. Athen. XII p. 550 f = Eustath. ad *Ν* 824 p. 962, 28) optime illa narratiuncula convenit.

[2]) Nimis audacter Meinekius concludit, qui in frg. com. Gr. I p. 417 sq assentiente Kockio frg. com. Att. II p. 415 Philoxenum *Πτερνοκοπίδα* eundem fuisse vult atque Philoxenum Eryxidis filium, quem Aeschines Socraticus ap. Athen. V p. 220 b ab Anaxagora eruditum esse testatur, eoque argumento nititur ad definiendam Axionici comici aetatem: de compluribus illis Philoxenis saepe etiam a veteribus inter se confusis plenius egit Bergkius, rel. com. Att. ant. p. 208 sqq, qui lepidum parasitum bene distinguit ab Atheniensi, Eryxidis filio, ob gulositatem infami (p. 210): qui si ex Anaxagorae disciplina profectus erat a. fere 434 Athenis expulsi, non post annum 460—455 eum natum fuisse necesse est, ut vel aetate major videatur, quam in quem istius apud Axionicum parasiti verba apte referamus.

ὄνομα· ‘τὴν πρὸς Δόλωνά μοι, φησί, δοκῶ παρ' Ὀδυσσέως ἀπάντησιν ἐπὶ σὲ μεταφέρειν· (*K* 401) *‘ἦ ῥά νύ τοι μεγάλων δώρων ἐπεμαίετο θυμός.’*

Parum hunc locum perspexerunt Dalecampius et Schweighaeuser, qui verba *ᾧ Δῶρος ἦν ὄνομα* ad illum Atticum ipsum pertinere putarent, qui formam suam ostentaret (*ἐπιδεικνύντα ὡς καλόν*!); quare non potest mirum esse, quod eis jocus obscurus videbatur. Rectius urbanitatem jam intellexerat Eustathius ad *Y* 406 p. 1214, 54, ut denuo monuit Meinekius in adn. crit. ad hunc locum, grandem illum puerum, cuius venustatem Atticus laudat, nomen Dori gerere, ut hac utatur Aristo verborum amphibolia: ‘magnorum munerum cupidus es’ (*δώρων* genet. plur. *δῶρον* verbi) Attici libidines designans, et ‘magnorum Dororum cupidus es’ (*Δώρων* genet. plur. *Δῶρος* verbi) in grandem juvenem, cui erat illud nomen proprium, jocatus. De Aristone Ceo Peripatetico, qui altera parte tertii a. Chr. n. saeculi fuit et secernendus est a Stoico Aristone Chio, quocum saepius scriptores ejus nomen confuderunt, cf. Fr. Ritschl opusc. I p. 551 sqq et Krische ‘Forsch. auf d. Geb. d. a. Philos.’ I c. 23 p. 405 sqq.

Tertia ex iis partibus, in quas materiem nostram divisimus, illa amplectitur facete dicta, quibus Homericorum versuum verba mutata atque in ridiculum detorta sunt. Nemo non intelleget huc non spectare eas mutationes, quibus formam aliquam verbi ad aliam atque in Homero personam adaptare studuerint, quod genus mutationis apud omnes, quicunque ad distinguendam orationem pedestrem versus Homericos immiscuerunt, milies reperiemus: sed in ipsis mutatis verbis sive leporem sive ludibrium positum esse oportet, quod ita fit, quia audientium animi cum jucunditate quadam decipiuntur, cum ipsi sola Homeri verba exspectaverint; quod genus ridiculi veteres *ἀπροσδόκητον* sive ‘praeter exspectationem’ appellare solebant (cf. Cic. de or. II, 255).

Atque artificiosiores versuum immutationes postea singulatim tractabo; nunc quomodo libere neque ulla ratione obstricti Homerum detorserint, ante oculos demonstrabo. Plerumque autem ad unum vocabulum commutandum parodiae pertinent, si potest fieri, ad ultimam versus vocem, quo magis audientium exspectatio decipiatur (cf. nr. 61. 62. 67. 74). Multum in ejusmodi versibus deflexis valent nomina propria, quae pro Homeri sive ipsius nominibus propriis sive aliis substantivis interponuntur. Ejusmodi exempla primo loco proferam (nr. 57—64). Quibus similes sunt eae parodiae, quibus aliud verbum simplex substituitur (nr. 65—68). Rarius major pars versus Homeri immutatur (nr. 69—71), quia facile in uno versu parodia nimis libera parum percipitur: itaque in talibus dictis perspicua ac manifesta Homeri vestigia utique remanere necesse est veluti *οὐδὲ γὰρ οὐδ' εὐρύς περ ἐών* (nr. 69); *οὔτι—ἐπαίτιοι, ἀλλ'* (nr. 70) etc.

57. Laert. Diog. III, 5. *ἔπειτα μέντοι μέλλων ἀγωνιεῖσθαι* (Plato) *τραγῳδίᾳ πρὸ τοῦ Διονυσιακοῦ θεάτρου, Σωκράτους ἀκούσας κατέφλεξε τὰ ποιήματα εἰπών· ‘Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε· Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει.’*

(*Σ* 392 *Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε· Θέτις νύ τι σεῖο χατίζει*)

Praeter nominum mutationem etiam in appellatione *Ἥφαιστε* aliquid joci latet, cum hoc loco non deus ipse ut apud Homerum, sed res dei sacra ac propria a Platone petatur.

Eandem narratiunculam exhibent Olympiodorus v. Plat. (Biogr. ed. Westerm. p. 384) et Anonymus v. Plat. (ib. p. 392); alii vitae tempori assignat Eustathius ad *P* 265 p. 1106, 33 et ad *Σ* 392 p. 1149, 1, de quibus locis jam paulo accuratius disserendum erit.

In eis, quae in pag. 1106 ad Homeri verba *ἠιόνες βοόωσιν* Eustathius adnotat[1]), duas confundit fabellas, quarum altera erat Solonem, qui Homerum imitaretur, cum verba legeret *ἠιόνες βοόωσιν*, vidisse non adaequari posse Homeri artem *ὀνοματοποιίας* eaque de causa carmina sua concremasse: quam narratiunculam simpliciter reddit scholiasta ad *P* 265. Alteram, quam hoc loco non integram recordatur Eustathius, in p. 1149 diligentius praebet ex Aeliani v. h. II, 30 sumptam: dicebant enim Platonem quoque aliquando carmen heroicum composuisse, quod igni traderet, cum, quantum ab Homero distaret, cognovisset. Quam narratiunculam commiscens cum illa etiam apophthegma falso ad Solonem transtulit, quod solum ad Platonem pertinet; quod eo facilius fieri potuit, quia etiam Platonici carminis exstinctionem ad certum versum referebant. Dicit enim scholiasta ad *Σ* 392: *Πλάτων δὲ πρὸς τοῦτο γενόμενός φησι· ‘Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει.’* Ex quo scholio haec vetus et genuina fabulae forma fuisse videtur Platonem, quo diutius Homeri Iliadem legeret, eo magis intellexisse, quanto esset illo inferior. Itaque eum, cum jam legens ad illum versum venisset (cf. *πρὸς τοῦτο γενόμενος*) *‘Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε’* etc., in ludibrium illum vertentem exclamasse: *‘Πλάτων νύ τι σεῖο χατίζει’* et carmen suum combussisse. Equidem non dubito, quin scholiastae et Eustathii adnotationes ex ejusmodi narratiuncula profectae sint itaque erret C. Fr. Hermannus in libro inscripto ‘Gesch. u. System d. Platon. Philos.’ pars I p. 100, 54, quod illud dictum ab initio ad Platonis cum Socrate consuetudinem revocatum esse putat; immo cum in ea, quam schol. et Eustath. exhibent, forma etiam multo elegantiores facetiae serventur, maxime probabile videtur posteros demum eas ad illud temporis mo-

---

[1]) *καὶ αὕτη, φασίν, ἡ εἰκὼν τὰ τοῦ Σόλωνος ἢ κατά τινας τὰ τοῦ Πλάτωνος ἠφάνισε μιμήματα. λέγεται γὰρ ὡς ὀνοματοποιῶν ἐκεῖνος καὶ ἀντεπεξάγων ἑαυτὸν τῇ Ὁμηρικῇ πολυφωνίᾳ, ἐπεὶ εὕροι τὸ τοιοῦτον ‘βοόων’ καὶ οὐκ ἔχοι ταὐτὸν ἠχῆσαι πρὸς τοιαύτην ὀνοματοποιίαν, κατακαύσοι τὰ σκέμματα, μὴ καὶ πάνυ δεύτερος πίπτοι τοῦ ποιητοῦ, ὅτε καὶ ᾄδεται εἰπεῖν ὁπότερος ἂν καὶ ἦν ἐκεῖνος τὸ ‘Ἥφ. πρόμ. ὧδε· Πλάτων νύ τι σ. χατ.’ ἢ ‘Σόλων νύ τι σ. χατ.’*

mentum transtulisse, cum ad clarissimi magistri disciplinam Plato se converteret.[1])

Quod etiam Metrocli, qui initio Theophrasti Peripatetici auditor per Cratetem ad Cynicorum philosophiam traductus est, ap. L. D. VI, 95 nostrum dictum quidam addixerunt, qui Theophrasti *ἀκροάσεις* comburens versum Σ 392 exclamasset, cf. quae supra (p. 8) exposui.

58. Alio modo summa cum urbanitate in eodem versu lusit Anatolius quidam grammaticus apud Olympiod. v. Plat. (Biogr. ed. Westerm. p. 385): *γραμματικὸς δέ τις Ἀνατόλιος ἐνταῦθά ποτε τὸ ἔπος* (Σ 392) *εἰπὼν ηὐδοκίμησεν εἰς Ἥφαιστον ἄρχοντα ἐπιστάντα τῇ πόλει· εἶπε δ' αὐτὸ οὕτως· ‘Ἥφαιστε, πρόμολ' ὧδε, Φάρος νύ τι σεῖο χατίζει.’*

Primum quidem cum Olympiodorus Alexandriae vitam degerit et scripserit, apparet vocem *ἐνταῦθα* ad illam urbem spectare, et quod nihil addit ad explicandas illas facetias nobis minime apertas, vel hinc efficitur aequalibus et Phari condicionem, quam tangit, et Hephaestum illum satis cognitum fuisse, ut illud *ποτέ* ad tempus quoddam non tam diu praeteritum pertineat: fuit autem Olympiodorus prima parte sexti p. Chr. n. saeculi (cf. Frid. Creuzer ‘Procli et Olympiodori in Plat. Alcib. comment.’ pars II p. XIV). De Hephaesto quodam Alexandriae praefecto traditum est apud Procopium, qui in hist. arc. c. 26 narrat Hephaestum inter causidicos fuisse, qui posteaquam praefecturam urbis adeptus sit, plebis tumultus sedaverit, verumtamen cives avaritia sua ad extremas adduxerit calamitates. Nihilo secius imperatorem Justinianum unice illum adamasse et praecipuo in honore habuisse, quia ex correptis opibus satis magnam partem in imperatoris aerarium semper referret. Accuratius anni, quibus Hephaestus Alexandrinorum res administraverit, a Procopio non indicantur, etsi alios post illum Alexandriae praefectos commemorat (cf. hist. arc. c. 27).

Jam etiam circumspiciamus, qua tandem re illis temporibus Pharus insula auxilii Hephaesti indiguerit. Facile aliquis ad hanc conjecturam refugiat, Anatolii facetias spectare ad Phari turris ignes fortasse aliquando exstinctos, qua occasione Anatolius ab Hephaesto praefecto remedium petierit. Sed Procopius Gazaeus in Panegyrico in imperatorem Anastasium composito c. 20 mihi ansam praebere videtur, quomodo elegantius illud dictum explicemus, quod procul dubio ad certum quendam ac gravem casum referendum est (cf. Olympiod.: *Ἀνατόλιος — ηὐδοκίμησε*). Procopius enim inter summa Anastasii de imperio merita hoc quoque fuse et copiose auget et ornat, quod turrim Phari insulae, quam maris fluctus a tergo assultans munimentis nudatam paene concusserit, ut ruinam minaretur, solidis substructionibus fulserit nocturnosque ignes nautis saluberrimos servaverit (ad eandem rem

[1]) Nondum scilicet disceptatur hac re illa quaestio, num revera Plato adulescens epica carmina composuerit, quam omnino certo dijudicare non poterimus, cf. Hermann l. l.

Prisciani Panegyr. in Anast. vv. 186 sqq, p. 523 ed. Niebuhr in corp. hist. Byz., pertinere videntur). Nemo non intellegit imperatorem sumptum suggessisse turri restituendae, praefecti Alexandriae munus fuisse labefactae ac putridae turri primam medelam adhibere ac lapsum prohibere. Quae autem occasio magis idonea excogitari potest, qua Anatolius magnam famam facetiis suis nactus sit, quam tum, cum pharus labefacta omnium animos commoveret? Accedit ipsius Olympiodori testimonium, qui illam vitam Platonis, quae ex commentario in priorem Platonis Alcibiadem deprompta est, ante annum 529 scripsisse videtur (cf. Creuzer l. l. p. XIV), ut mihi quidem dubium non relinquatur, quin *ἐνταῦθά ποτε* pertineat ad extremos Anastasii annos et ad rem supra descriptam.

Restat scrupulus: nam turris illa ab Anastasio restructa est, qui inde ab anno 491 usque ad 518 regnavit, Hephaestus ille imperatore Justiniano (527—565) Alexandriae praefecturam egit. Attamen Procopius non dicit Hephaestum imperatore Justiniano praefecturam iniisse itaque nihil impedit, quominus jam Anastasii temporibus Hephaestum Alexandrinis praefuisse statuamus, praesertim cum ex Procopii descriptione appareat complures annos illum urbis imperium tenuisse. Quod mihi quidem verisimilius videtur quam alterum Alexandriae praefectum ponendum esse, qui Hephaesti nomen habuerit et Anastasii temporibus fuerit: quamquam ne hoc quidem omni probabilitate caret. Joannes enim Lydus de mag. P. R. III, 30 (p. 223 ed. Bekker) mentionem facit Hephaesti cuiusdam, qui imperatore Justiniano Constantinopoli praefecti praetorio munere functus circiter annum 552 (cf. Hasii comment. § 3) Joannem honorifico decreto ornaverit. Eundem addit ex Hephaesto deo, primo Aegypti rege[1]), originem duxisse, id quod summi momenti est; inde enim cognoscimus illum Hephaestum ex Aegypto nobili loco ortum atque verisimillimum esse etiam alios illius propinquos maximeque majores idem nomen gessisse.[2])

59. Strabo I, 2, 2 p. 15 C. *αὐτῷ* (Eratostheni) *πολύς ἐστι .. Βίων, ὅν φησι πρῶτον ἀνθινὰ περιβαλεῖν φιλοσοφίαν· ἀλλ' ὅμως πολλάκις εἰπεῖν ἄν τινα ἐπ' αὐτοῦ τοῦτο· ‘οἵην ἐκ ῥακέων ὁ Βίων’* (scil. *ἐπιγουνίδα φαίνει*).

(*σ 74 οἵην ἐκ ῥακέων ὁ γέρων ἐπιγουνίδα φαίνει*)

Hic versus quid sibi velit et quomodo cum sententia antecedente cohaereat, accuratissime exposuit Wachsm. sillogr. p. 74 sq (cf. Hense, Telet. rel. p. LVII sq), ut mihi nihil restet, nisi ut paucissimis summam repetam. A Bione enim philosopho, qui novas quasdam rationes docendi usurpavit neque veritus est prosopopoeias, facetias et ludifica-

[1]) Cf. Euseb. praep. ev. II, 1, 3 al.

[2]) Ipsum praefectum praetorio eundem fuisse atque Alexandriae praefectum vel ex silentio Procopii improbabile est, qui haud dubie ejus dignitatis accessionis mentionem fecisset.

tiones, verba vulgaria eademque non raro immundiora (cf. Hense l. l.) tamquam de scena in philosophiam transferre, versicoloribus meretricum vestibus illam indutam esse Eratosthenes dixit: nihilominus vero etiam in tam insolito habitu agnosci potuisse, qualis Bionis vigor esset.

60. Sext. Empir. Pyrrh. hypot. I, 234. *φασὶν ὅτι κατὰ μὲν τὸ πρόχειρον Πυρρώνειος ἐφαίνετο εἶναι* (Arcesilaus), *κατὰ δὲ τὴν ἀλήθειαν δογματικὸς ἦν· καὶ ἐπεὶ τῶν ἑταίρων ἀπόπειραν ἐλάμβανε διὰ τῆς ἀπορητικῆς εἰ εὐφυῶς ἔχουσι πρὸς τὴν ἀνάληψιν τῶν Πλατωνικῶν δογμάτων, δόξαι αὐτὸν ἀπορητικὸν εἶναι, τοῖς μέντοι γε εὐφυέσι τῶν ἑταίρων τὰ Πλάτωνος παρεγχειρεῖν. ἔνθεν καὶ τὸν Ἀρίστωνα εἰπεῖν περὶ αὐτοῦ· ‘πρόσθε Πλάτων, ὄπιθεν Πύρρων, μέσσος Διόδωρος’, διὰ τὸ προσχρῆσθαι τῇ διαλεκτικῇ τῇ κατὰ τὸν Διόδωρον, εἶναι δὲ ἄντικρυς Πλατωνικόν.*

(Z 181 *πρόσθε λέων, ὄπιθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ χίμαιρα*)

Idem ludibrium legimus ap. Laert. Diog. IV, 33 et Euseb. praep. ev. XIV, 5, 13. Adversarios Arcesilaum acerbissimis persecutos esse salibus, quod non ex se ipso aptus neque unum certum ducem secutus philosopharetur, sed ex Platonis, Pyrrhonis, Menedemi, Diodori rationibus disciplinam suam componeret, etiam duo Timonis fragmenta testantur ap. Wachsm. sillogr. XVI et XVII.

Utri hoc dictum debeamus Stoico Chio an Ceo Peripatetico, etsi loci supra allati non indicant, incertum esse non potest, cum Arcesilaus vehementissime Stoicorum philosophiam impugnarit atque omne gravissimum certamen cum Zenone inierit (Wachsm. l. l. p. 118). Cum hoc conferas Laert. Diog. IV, 40 et Ritschl opusc. I p. 557.

61. Athen. VI p. 249 c. d. *ὁ Ἀρκαδίων μισῶν τὸν Φίλιππον ἑκούσιον ἐκ τῆς πατρίδος φυγὴν ἔφυγεν. ἦν δ' εὐφυέστατος καὶ πλείους ἀποφάσεις αὐτοῦ μνημονεύονται. ἔτυχε δ' οὖν ποτ' ἐν Δελφοῖς ἐπιδημοῦντος Φιλίππου παρεῖναι καὶ τὸν Ἀρκαδίωνα· ὃν θεασάμενος ὁ Μακεδὼν καὶ προσκαλεσάμενος· ‘μέχρι τίνος φεύξῃ, φησίν, Ἀρκαδίων;’ καὶ ὅς· ‘ἔς τ' ἂν (φησί) τοὺς ἀφίκωμαι, οἳ οὐκ ἴσασι Φίλιππον.’* Arcadionem Athenaeus pergit deinde a Philippo ejus dicacitatem risu approbante ad coenam invitatum esse itaque sedatum ejus odium.

(λ 122 *εἰς ὅ κε τοὺς ἀφίκηαι, οἳ οὐκ ἴσασι θάλασσαν*)

Simili ratione eandem narratiunculam reddit Plut. de cohib. ira 9, qui initium illius versus tale exhibet, quale traditum est in Odysseae libris: *εἰς ὅ κε.* Eustathius eam attulit ad λ 121 p. 1676, 20, ubi pro *Ἀμαρδίων ὁ Ἀχαιός* restituendum est *Ἀρκαδίων.*

62. Plut. v. Pyrrhi 29 narrat Pyrrhum Spartam urbem oppugnaturum, cum Lysimachus de impetu haesitaret, duces adhortatum esse, ut arma manibus tenentes potius hoc secum cogitarent: *‘εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ Πύρρου.’*

(M 243 *εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης*)

Milites, qui alias regis fortuna confisi summo studio eum secuti erant atque tanta admiratione flagrabant, ut Demetrio Macedonum rege devicto *Ἀετόν* illum vocarent (cf. Plut. v. Pyrrh. 10 et apophth. Pyrrh. 5),

in rebus adversis cunctantes ad pristinum animi ardorem Pyrrhus reducere studet tamquam signum eis dans Homeri v. *M* 243, quem in proverbium transisse Apostolius VI, 55 a (Paroem. Gr. ed. Leutsch II p. 378) comprobat, ipsius pro patriae nomine supposito.

63. Philo Jud. ‘quod omn. prob. liber’ c. 18. *ζηλωτὴς δὲ τῆς τούτου* (Diogenis Cynici) *παρρησίας ἐγένετό τις Χαιρέας τῶν ἀπὸ παιδείας. Ἀλεξανδρείαν γὰρ οἰκῶν τὴν πρὸς Αἰγύπτῳ, δυσχεράναντός ποτε Πτολεμαίου καὶ ἀπειλήσαντος οὐ μετρίως, τῆς ἐκείνου βασιλείας οὐδὲν ἐλάττονα τὴν ἐν τῇ ἑαυτοῦ φύσει νομίσας ἐλευθερίαν ἀντέλεξεν·*

‘Αἰγυπτίοισιν ἄνασσε· σέθεν δ' ἐγὼ οὐκ ἀλεγίζω
οὐδ' ὄθομαι κοτέοντος.’

(Α 180 sq *Μυρμιδόνεσσιν ἄνασσε·* etc.)

Ex ipso dicto cogitur peregrinum Chaeream fuisse, qui in Ptolemaei aula versaretur.

64. Suid. s. v. *Ἰοβιανός.* Jovianus paulo post, quam imperator factus est, fame aliisque malis oppressus turpissimum cum Sapore, Persarum rege, iniit foedus; deinde etiam Nisibin, inexpugnabile oppidum et imperatori fidelissimum, incolis emigrare coactis ignave hostibus dedidit. Itaque[1]) cum Antiochiam profectus esset, *οἱ Ἀντιοχεῖς ἠγανάκτησαν κατὰ τοῦ βασιλέως καὶ τὰ μὲν ἀπέρριπτον διὰ βιβλίων ἐς τὸ ἔδαφος, ὥστε ἀναίρεσθαι τὸν βουλόμενον καὶ ἀναγινώσκειν· τὰ δὲ τοῖς τοίχοις προσεκόλλησαν, ἦν δὲ τοιαῦτα·* (*Γ* 428) *‘ἤλυθες ἐκ πολέμου, ὡς ὤφελες αὐτόθ' ὀλέσθαι’ καὶ* (*Γ* 39) *‘Δύσπαρι, εἶδος ἄριστε’ καὶ τὰ ἑξῆς καὶ*

‘εἰ μὴ ἐγώ σε λαβὼν ἀπὸ μὲν φίλα εἵματα δύσω,
χλαῖνάν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει,
αὐτὸν δὲ κλαίοντα θοῶς ἐπὶ Πέρσας ἀφήσω.

(*B* 261 sqq ubi in fine legitur *θοὰς ἐπὶ νῆας ἀφήσω*)

Antiochenses omnino maledicos fuisse ac ne summis quidem magistratibus ludibriis pepercisse, etiam Juliani Misopogon demonstrat, quem libellum adversus Antiochiae incolas scripsit, qui habitum ejus irriserant.

Sententia verborum *αὐτὸν δὲ — ἐπὶ Πέρσας ἀφήσω* haec est: Antiochenses imperatorem ex imperio se propulsuros atque ipsum contumeliose ad hostes, quibus tam multa exhibuerit, abacturos esse minantur. De ultimi dicti forma absoluta vide quae ad nr. 24 commemoravi. — Primae declinationis accusativi plur. syllaba *ας* (*Πέρσας*) correpta a poetarum ratione prosodiaca inprimisque Hesiodi ac Theocriti non aliena est, cf. Kuehner, gram. Gr. I p. 136 a.

65. Aelian. v. h. IV, 18. *ὅτε κατῆλθε Πλάτων ἐν Σικελίᾳ κλητός, πολλὰ ἐπὶ πολλοῖς ἐπιστείλαντος τοῦ Διονυσίου, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἐπὶ τὸ ἅρμα*

[1]) Alteram Antiochensium irae causam, quam Suidas profert, qui Jovianum narrat bibliothecam a Juliano Antiochiae institutam concremasse, jam Bleterius refutavit in ‘hist. de l'empereur Jovien’ Amsterd. 1740, cf. W. Teuffel in Paulyi encycl. real. tom. IV p. 247 in.

ὁ Διονύσιος αὐτὸς μὲν ἡνιοχῶν, παραιβάτην δὲ ποιησάμενος τὸν Ἀρίστωνος, τότε δή φασι Συρακόσιον ἄνδρα χαρίεντα καὶ τῶν Ὁμήρου μὴ ἀπαίδευτον ἡσθέντα τῇ ὄψει ταύτῃ ἐπειπεῖν τὰ ἐξ Ἰλιάδος ἐκεῖνα παρατρέψαντα ὀλίγον·

'μέγα δ' ἔβραχε φήγινος ἄξων
βριθοσύνῃ· δεινὸν γὰρ ἄγεν βροτὸν ἄνδρα τ' ἄριστον.'

(*E* 838 sq ubi in fine legitur *δεινὴν γὰρ ἄγεν θεὸν ἄνδρα τ' ἄριστον*)

Acumen inest in verbis inter se oppositis *δεινὸν βροτόν* et *ἄνδρα ἄριστον*. Illud enim significat tyrannum, qui inter homines summam possideat potentiam; hoc continetur vis hominis perfecti atque virtutibus virilibus exstructi et optime cadit in maximum sui temporis philosophum. Nescio an voce *ἄνδρα δ' ἄριστον* etiam principale Platonis nomen *Ἀριστοκλῆς* (cf. L. D. III, 4) Siculus ille lepide attigerit.

66. Laert. Diog. VI, 90. (Crates Cynicus) *ἐν Θήβαις ὑπὸ τοῦ γυμνασιάρχου μαστιγωθείς — οἱ δὲ, ἐν Κορίνθῳ ὑπ' Εὐθυκράτους — καὶ ἑλκόμενος τοῦ ποδὸς ἐπέλεγεν ἀφροντιστῶν· 'ἕλκε ποδὸς τεταγὼν διὰ βηλοῦ θεσπεσίοιο.'*

(*A* 591 *ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο*)

Non minus festivus in versu Homerico lusus quam ipsa dolorum contemptio germani Cynici naturam indicat. De eodem dicto etiam Julianus or. VI p. 201 B cogitavit, cum dicit: *ὁ Κράτης . . . τὸ σῶμα βλαβεὶς ἔσκωπτεν ἑαυτὸν εἰς τὴν χωλότητα τοῦ σκέλους καὶ τὸ κυρτὸν τῶν ὤμων*; nam ex veteribus, quamvis deformem corpore Cratetem fingant (cf. L. D. VI, 91), neminem inveni de ipsa illius clauditate tradentem, quod vitium nullo modo omisisset Apul. flor. II, 14. Neque igitur Mullachius, frg. philos. Gr. II p. 331^{b} ex solo Juliani loco debuit concludere Cratetem claudum fuisse.

67. Apud Athen. X p. 444 d.e Hegesander Delphus, qui scripsit *ὑπομνήματα*, haec tradit: *Κομηὼν καὶ Ῥοδοφῶν τῶν ἐν Ῥόδῳ πολιτευσαμένων ὄντες ἦσαν ἔξοινοι. καὶ ὁ Κομηὼν εἰς κυβευτὴν σκώπτων τὸν Ῥοδοφῶντα ἔλεγεν· 'ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι κυβευταί.'*

(*Θ* 102 *ὦ γέρον, ἦ μάλα δή σε νέοι τείρουσι μαχηταί*)

Manifestum est verbis *νέοι κυβευταί σε τείρουσι* Comeonem ludificari aleatoria Rhodophontis damna.

68. Ex apophth. cod. Vindob. ap. C. Wachsmuth 'Wiener Apophth.-Samml., Festschr. z. 36. Philol.-Vers. 1882 in Karlsr.' inter mulierum dicta nr. 189: *Σαμία γυνὴ φιλοπότην ἔχουσα ἄνδρα ἔφη· 'οὐ χρὴ παννύχιον πίνειν βουληφόρον ἄνδρα.' ὁ δέ· 'ἀπόλοιτο ὁ γράμματά σε διδάξας' ἔφη, ἐκείνη μὲν οὖν· 'ὁ σὲ μὴ διδάξας.'*

(*B* 24. 61 *οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα*)

69. Athen. XIV p. 656 c. d. *περὶ δὲ λαγῶν Χαμαιλέων φησὶν ἐν τῷ περὶ Σιμωνίδου, ὡς δειπνῶν παρὰ τῷ Ἱέρωνι ὁ Σιμωνίδης οὐ παρατεθέντος αὐτῷ ἐπὶ τὴν τράπεζαν καθάπερ καὶ τοῖς ἄλλοις λαγῴου, ἀλλ' ὕστερον μεταδιδόντος τοῦ Ἱέρωνος, ἀπεσχεδίασεν· 'οὐδὲ γὰρ οὐδ' εὐρύς περ ἐὼν ἐξίκετο δεῦρο.'*

(*Ξ* 33 *οὐδὲ γὰρ οὐδ' εὐρύς περ ἐὼν ἐδυνήσατο πάσας αἰγιαλὸς νῆας χαδέειν*)

Idem apophthegma adnotavit Eustath. ad *ρ* 295 p. 1821, 38.

70. Teles in oratione *περὶ αὐταρκείας* scripta ap. Stob. flor. V, 67 (Telet. rel. p. 5, 11 ed. Hense), ubi Paupertatem nihil molestiae praebere demonstrat, praeter alia hoc profert Diogenis dictum: *διό φησιν ὁ Διογένης φωνῆς ἀκηκοέναι Κακίας ἑαυτὴν αἰτιωμένης· 'οὔτις ἐμοὶ τῶνδ' ἄλλος ἐπαίτιος, ἀλλ' ἐγὼ αὐτή.'*

(*A* 335 *ἄσσον ἴτ'· οὔτι μοι ὔμμες ἐπαίτιοι, ἀλλ' Ἀγαμέμνων*)

Habemus in illa sententia celeberrimam indolem philosophiae Cynicorum, qui docebant ipsam hominum pravitatem solam mali causam esse, contra quae vitae incommoda appellare solemus, paupertatem, senectutem, mortem, exilium, alia sapienti nihil mali exhibere posse. — Notum est, quam in deliciis habuerint Cynici *προςωποποιίαν*, velut hic Pravitas et supra (nr. 46) Fortuna tamquam persona producitur, cf. E. Weber l. l. p. 161.

Proverbii modo nostrum dictum usurpat Plut. de tranqu. animi c. 19 = Stob. flor. XXIV, 15: *τὸ δὲ 'οὔτις ἐμοὶ τῶν ἄλλος ἐπαίτιος, ἀλλ' ἐγὼ αὐτός' ἐπιθρηνούμενον τοῖς ἁμαρτανομένοις ἔνδοθεν ἐξ αὐτοῦ.*

71. Herodis Attici Philostr. v. Sophist. II, 1, X (p. 65 sq ed. K.) tres nominat liberos[1]): e quibus cum filiae duae carissimae Panathenais et Elpinice, Rhegilla uxore jam antea mortua, magno cum patris luctu mortem obissent, unus Atticus filius Herodi relinquebatur, qui propter stultitiam ingeniique tarditatem ita patri invisus erat, ut moriens res maternas ei relinqueret, ipsius domum aliis heredibus legaret. Vivens autem *ἐπεχρησμῴδει τῇ ἑαυτοῦ οὐσίᾳ ἐκεῖνο τὸ ἔπος· 'εἷς δ' ἔτι που μωρὸς καταλείπεται εὐρέι οἴκῳ.'*

(*δ* 498 al. *εἷς δ' ἔτι που ζωὸς κατερύκεται εὐρέι πόντῳ*)

Sed praeter has mutationes liberas neque ex certis rationibus factas etiam nonnullae exstant artificiosius formatae. Liquet enim magis ingenium delectari talibus potissimum subdendis vocabulis, quorum litterae propius ad Homeri voces accedant et quae similiter atque illae auribus sonent: quas mutationes grammatici ex paronomasia sive agnominatione confictas appellant.

72. Plut. v. Anton. 81. *Καισαρίωνα δὲ τὸν ἐκ Καίσαρος γεγονέναι λεγόμενον ἡ μὲν μήτηρ* (Cleopatra) *ἐξέπεμψε μετὰ χρημάτων πολλῶν εἰς τὴν Ἰνδικὴν δι' Αἰθιοπίας, ἕτερος δὲ παιδαγωγὸς ὅμοιος Θεοδώρῳ Ῥόδων ἀνέπεισεν ἐπανελθεῖν, ὡς Καίσαρος* (Octavianus) *αὐτὸν ἐπὶ βασιλείαν καλοῦντος. βουλευομένου δὲ Καίσαρος, Ἄρειον εἰπεῖν λέγουσιν· 'οὐκ ἀγαθὸν πολυκαισαρίη.' τοῦτον μὲν οὖν ὕστερον ἀπέκτεινε μετὰ τὴν Κλεοπάτρας τελευτήν.*

(*B* 204 *οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη*)

Areum Alexandrinum Suet. Oct. 89 tradit magistrum fuisse Octaviani, qui postea praecipuo honore illum coluit (Plut. Anton. 80) et

---

[1]) Accuratius ex inscriptionibus de Herodis progenie docemur, quod tamen in hac re nullius momenti est.

postquam Alexandriam cepit, quod illius patria esset, urbi pepercit (Plut. Anton. 80; Apophth. Octav. 3; al.).

73. Laert. Diog. VI, 53. *μειράκιον εὔμορφον ἀφυλάκτως ἰδὼν* (Diogenes) *κοιμώμενον, νύξας· 'ἐπέγειραι, ἔφη, 'μή τίς σοι εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.''*

(*Θ* 95 *μή τίς τοι φεύγοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ*)

Idem dictum in gnomol. Vatic. l. l. nr. 224 legimus, ubi falso inter Demosthenis apophthegmata receptum est, sed genuinam servavit formam: '*μή τίς σοι εὕδοντι μετισχίῳ ἐν δόρυ πήξῃ*', pro qua vetus librarius apud Laert. Diog. falso Iliadis scripturam substituit (item atque in nr. 75). Neminem enim fugit obscoenae notioni vocis *δόρυ*[1]) minus convenire vocabulum *μετάφρενον* interjectam inter humeros partem corporis significans (cf. Eustath. ad *B* 265 p. 216, 35; ad *Λ* 447 p. 855, 32); quare Leopardus pro *μεταφρένῳ* temptaverat *μετανέφρῳ*.

Sternbachius in commentat. philol. in hon. Ribbeckii p. 357 sq, ubi primus accuratius de hoc dicto egit, verisimillimum esse demonstravit Diogenem non detorsisse versum Iliadis *Θ* 95, quem supra ascripsi, sed alium in nostris Homeri codicibus amissum, cuius Eustath. ad *E* 40 p. 519, 31 vestigium servavit:

μή τίς τοι εὕδοντι μεταφρένῳ ἐν δόρυ πήξῃ.

Quam multos omnino veteres legerint versus Homericos, qui maxime per Alexandrinos aut mutati in nostros libros transierint aut omnino excussi sint, cum in vulgo etiam diutius vigerent, ex Platonis, Aristotelis, aliorum scriptis satis cognoscimus (cf. Rich. Wachsmuth 'de Aristotelis stud. Homericis' Berol. 1863 p. 2—19; La Roche 'Homer. Textkritik' p. 31. 36—41).

74. Laert. Diog. eodem loco de Diogene pergit: *πρὸς τὸν πολυτελῶς ὀψωνοῦντα· 'ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγοράζεις.'*

(*Σ* 95 *ὠκύμορος δή μοι, τέκος, ἔσσεαι, οἷ' ἀγορεύεις*)

Hoc loco recens, quod supponitur, vocabulum *ὁμοιοκάταρκτον* est ex eadem verbi radice ductum, ita ut exitus solus vocis Homericae immutetur. Ejusdem joci mentionem facit Eustath. ad *Σ* 94 p. 1132, 39.

75. Laert. Diog. VI, 63. *ἔρανόν ποτ' ἀπαιτούμενος πρὸς τὸν ἐρανάρχην ἔφη· 'τοὺς ἄλλους ἐράνιζ', ἀπὸ δέκτορος ἴσχεο χεῖρας.'*

Quamquam is versus, ex quo Diogenes ludibrium finxit, nostris Iliadis libris non continetur, tamen manifestum est, qualis fuerit:

τοὺς ἄλλους ἐνάριζ', ἀπὸ δ' Ἕκτορος ἴσχεο χεῖρας,

qui sine dubio insertus erat in iis, quibus Achilles Patroclum in aciem exiturum hortatur (*Π* 49—100; in eo, quem nos habemus, textu optime post v. 90 intericitur, ut jam dudum alii conjecerunt).

Eandem versus formam plerique Laertii Diogenis librarii tradiderunt non perspicientes verborum salem; rectius cod. Vatic. 1302 et Laur.

[1]) De similibus illius membri nominibus cf. Huebner, ed. Casaub. notas etc. in Laert. Diog., ad hunc locum, tom. II p. 41.

plut. 69, 28 exhibent *ἐράνιζ'*, quod ipsum pro *ἐνάριζ'* correxerat Stephanus in praef. ad ed. p. 12. Non minus certa est Menagii et Reiskii palmaris conjectura *δέκτορος* pro *δ' Ἕκτορος*, quam non opus est compluribus defendere: *δέκτωρ*, a verbo *δέχεσθαι* derivatum, est acceptor scil. stipium, h. e. mendicus.

Habemus igitur in uno apophthegmate duos elegantissimos verborum lusus: quantopere delectati sint veteres ludentes in litterarum transmutatione, quod genus paronomasiae grammatici *ἀναγραμματισμόν* vocabant, intellegimus ex Eustathii testimonio, qui ad *Δ* 393 p. 488, 12 compluria profert exempla *κατὰ ὁμοίαν μετάθεσιν γραμμάτων* ficta veluti *χόλος* et *λόχος*, *μῦθος* et *θυμός*, *ἔμεινας* et *ἔνειμας*, *πέλας* et *λέπας*. Lepidissimum Cratetis ejusmodi ludibrium vide ap. Wachsm. sillogr. frg. I p. 192 sq (*τὴν ἀρετὴν παρὰ γράμμα = τὴν ἑτάρην*). Alterum, quod nostrum dictum praebet, agnominationis genus ita efficitur, ut aliter atque in versu Homerico litterae in singula vocabula conjungantur. Cuius artificii aliud exemplum non tam decorum quam facetum legimus apud

76. Eustath. ad *Ω* 101 p. 1341, 24. *ἰστέον δὲ ὅτι τὸ* (*Ω* 102) '*εὔφρην' ἐπέεσσι' ἔπαιξέ τις ἀσυναλείπτως* (itaque lusit '*καί ῥ' εὔφρηνε πέεσσι*') *οὐ πρὸ μακροῦ ἐπὶ γυναικὸς, ἣν ἔγνω χαίρουσαν εἰς τὸ πέος.*

77. Restat singularis quaedam mutandi ratio apud Suet. v. Aug. 65, qua duo ejusdem versus Homerici vocabula invertuntur. Suetonius enim narrat Augustum, qui 'aliquanto patientius mortem quam dedecora suorum tulerit,' magnis doloribus oppressum, quos tres nepotes Gajus et Lucius et Agrippa, porro Julia neptis maximeque Julia filia ei commoverint, saepius ingemiscentem exclamasse: '*αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι.*'

(*Γ* 40 *αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι*)

Hoc loco paulo longius repetere opus erit, ut petitam esse ab auctore immutationem versus nec fortuito errore factam probabile reddam. Apud Homerum Hector increpitat Paridem inertiae eum incusans: *αἴθ' ὄφελες ἄγονός τ' ἔμεναι ἄγαμός τ' ἀπολέσθαι*, in qua scriptura omnes libri congruunt. Cum autem vox *ἄγονος* duas amplectatur notiones 'non natus' et 'sterilis, sine liberis', gravissima inter viros doctos controversia exorta est, utra nostro loco notio valeat, cf. Naegelsbach, adn. ad. *Γ* 40; Ameis in N. Jahrb. f. Phil. 65 p. 374; lexic. Hom. ed. Ebeling s. v. *ἄγονος*. Atque equidem mihi persuasum habeo, quod omnes fere interpretes atque etiam Eustath. ad *Γ* 40 p. 378, 40 et 380, 19 intellexerunt, in Iliadis versu vocem *ἄγονος* solum significare posse 'non natus', cum Paris prolem omnino non habeat. Nam etiamsi hoc unum concedendum erit pro particula *τε—τε* rationem logicam potius postulare *ἤ—ἤ*, tamen facile hoc nobis excusabitur considerantibus Hectoris verborum vehementiam, in qua omnes proni sumus ad neglegendas leges grammaticas et logicas: itaque hoc loco ad priorem detestationem adnectitur altera 'utinam interisses, priusquam mulierem duxisses', quae nova accedit ad priorem neque tam arte cum illa

cohaeret, ut quisquam juste offendat in eo, quod *ἄγαμόν τ' ἀπολέσθαι* exclusum sit antecedentibus verbis *ἄγονον ἔμεναι.*

Contra alia, in quibus offenderunt, nihil esse puto; quod ipsi proposuerunt, minus probandum judico. Nam ut alia praetermittam (cf. Ebeling l. l.), locum illum Iliadis *I* 454 sqq, quem tantopere premit Autenriethius ad Naegelsb. adn., huc referri omnino non licet, cum ibi pro certo filii scelere accommodatas sceleri diras pater Phoenici imprecetur. Deinde etiam credo poetam, si illud dicere voluisset, verba sic positurum fuisse, ut multo simplicius atque rectius est: *ἄγαμός τ' ἔμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι,* cum conubium antecedat liberorum procreationi itaque *ἄγονον ἀπολέσθαι* sequatur e priore *ἄγαμον ἔμεναι.*

Accedit autem, quod ille versus saepius detestationis loco laudari solebat atque hoc quidem modo, ut procul dubio verbi *ἄγονος* notio valeat 'non natus', veluti Suid. s. v. *Ἰοβιανός* (cf. nr. 64): '*Δύςπαρι, εἶδος ἄριστε' καὶ τὰ ἑξῆς,* h. e. etiam sequens versus *Γ* 40; Maxim. Tyr. dissert. IV c. 6 fin: '*αἴθ' ὄφελεν ἄγονόν τ' ἔμεναι ἄγαμόν τ' ἀπολέσθαι' τὸ γένος τοῦτο πᾶν.*

Aliter Augusti dictum interpretandum est. Nam ex toto rerum conexu dubium esse non potest, quin Suetonius illum versum ita premi voluerit, ut imperator dicat se maluisse sine liberis decedere quam tam male morata prole uti.[1]) Quae sententia inest in eo verborum ordine, quem Suetonius exhibet: *αἴθ' ὄφελον ἄγαμός τ' ἔμεναι ἄγονός τ' ἀπολέσθαι,* in quo *ἄγονος* unam vim habere potest 'sine liberis,' ut Augustus queratur: 'utinam nunquam mulierem duxissem et sine prole mortuus essem.' Quare operam mihi ii perdere videntur, qui hunc versum cum Iliadis textu exaequare student, cum non dubitem, quin cogitate Augustus Homerum detorserit. Quod si opponas non decere hominem summo dolore afflictum in poetae verbis ludere: in ipso dolore ne laudare quidem ullum poetam homines solent; deinde Suetonius expressis indicat verbis non semel Augustum illud dictum edidisse, sed solitum esse proclamare (ceterum cf. nr. 71).

Ad finem dissertationis perveni. Non ita collectionem meam confectam esse, ut omnia, quae huc spectent, apophthegmata ea contineri contendere possim, haud ignoro; immo licet multos ac varios libros excusserim facete dicta ex Homero petita consectatus, tamen fieri potuit, ut etiam in ea scripta, in quae minime quisquam suspicatus sit, aliquod irrepserit itaque me fugerit; praeterea in florilegiis adhuc ineditis procul dubio huius quoque collectionis exempla quaedam occulte latent. Cui

[1]) Cf. aliud Octaviani dictum eodem loco traditum: 'cum sub idem tempus una ex consciis (Juliae filiae) liberta Phoebe suspendio vitam finisset, maluisse se ait Phoebes patrem fuisse.'

tamen vitio ignosces considerans ejusmodi thesaurum non plane cumulateque absolvi posse nisi multorum annorum studiis.

Etiam hoc ad perficiendam collectionem relinquitur, ut dicta dubia et incerta conquiram: nunc acquiescam in paucis exemplis afferendis ad notanda varia incertorum genera. Atque primum quidem aliquot versus sunt, qui utrum ex Iliade vel Odyssea an ex cycli epici carmine deprompti sint, certo disceptare non possumus.

Stob. flor. LIV, 48. *Ἀλέξανδρος ἐρωτηθεὶς ὑπό τινος, πῶς ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ τῆς οἰκουμένης ἐκυρίευσεν, εἶπε· 'βουλῇ καὶ μύθοισι καὶ ἠπεροπηίδι τέχνῃ.'*

Hunc versum in Odyssea aliquando exstitisse ex Polyaen. strat. prooem. 8 et Strab. I, 2, 4 p. 17 C et XIII, 1, 41 p. 601 C probabile est, qui eum inter versus Homericos (eosque omnes ex Iliade et Odyssea depromptos) referunt.

Stob. flor. LIV, 46. *Ἀντίγονος ἐρωτηθείς, πῶς ἄν τις ἐπιθοῖτο τοῖς πολεμίοις, εἶπεν· 'ἢ δόλῳ ἠὲ βίῃ· ἢ ἀμφαδὸν ἠὲ κρυφηδόν.'*

Hunc versum non ex frustulis Homericis (*ι* 406 et *ξ* 330. *τ* 299) compositum, sed unum ab Antigono laudatum esse ex Zenobio I, 93 (Paroem. Gr. ed. Leutsch I p. 30) apparet, qui eum *τῷ ποιητῇ* tribuit.[1])

Quod si Polyaenus strat. prooem. 4 dicit saepe Homerum canere *ἢ δόλῳ ἠὲ βίηφι,* cum haec ipsa verba nusquam, verba *δόλῳ* (sine *ἢ*) *ἠὲ βίηφι* semel inveniantur (*ι* 406), eum quoque nostrum versum respicere verisimile est. Si quis nimirum ex eodem testimonio carmini cyclico, fortasse Iliadi minori, attribuerit nostrum versum, cuius auctorem Polyaenus Homerum vocaverit, cum vix prorsus interierint ista verba, si tam saepe in Iliade vel Odyssea lecta sint, me non habebit vehementer refragantem.

Alterum genus dubiorum dictorum jam supra perstrinxi, quod complectitur ea dicta, quae utrum nuda apophthegmata edita an in oratione perpetua prolata fuerint, incertum relinquitur. Ex contrario etiam hoc accidere potest, ut sub ipsa parodia scripto inserta absolutum quoddam ac pervulgatum dictum lateat, cf. nr. 37.

Etiam in Lucian. Hal. 1 haesito an Lucianus non ipse detorserit Homerum, sed vulgari ac communi in Cynicos ludibrio usus sit.[2]) Socrates ibi convocat Platonem, Chrysippum, Diogenem, Epicurum, Aristippum, Aristotelem, alios et hortatur, ut conjunctim vindicent Luciani cavillationes: *πάντες ἅμα ξυνασπίσωμεν ἐπ' αὐτόν, 'ὡς πήρη πήρηφιν ἀρήγῃ, βάκτρα δὲ βάκτροις.'*

(*Β* 363 *ὡς φρήτρη φρήτρηφιν ἀρήγῃ, φῦλα δὲ φύλοις*)

Ac primum quidem quamvis saepe Lucianus in scriptis suis Homerum deflectat, tamen nisi fallor omni subtiliore formarum ludo — qua-

[1]) Zenobius hanc verborum formam exhibet: '*ἢ δόλῳ ἠὲ βίηφιν· ἢ ἀμφαδὸν ἠὲ κρυφηδόν.*'

[2]) Fortasse dicebant: '*ὡς* (nam) *πήρη πήρηφιν ἀρήγει, βάκτρα δὲ βάκτροις.*'

lem inter vocem Homericam *φρήτρη* et formam Ionicam *πήρη* intercedere nemo negabit — caret et liberrime semper Homerum tractat. Deinde si nihilo secius ex suo ingenio scriptorem illud dictum formare potuisse contenderis, in ipsis verbis offenderim, quae minime in omnes illos philosophos quadrant, sed in solos Cynicos. Cynicorum enim proprius erat simplicissimus ille pauperum vestitus: lacerna, pera, baculum; qui habitus postea tamquam signum ac nota valebat, quibus istius philosophiae sectatores agnoscerentur. Itaque si illum detortum versum ut ludibrium omnibus notum proponimus, Lucianus Socratem proverbii loco de ceteris quoque philosophis bene id usurpantem facere potuit; sin minus, male cadit in Platonem, Epicurum, alios.

De intellegendo ipso dicto nihil opus est addere. Hoc unum animadvertendum, quod in '*βάκτρα δὲ βάκτροις* (*ἀρήγῃ*)' etiam acerbior inest sensus, quia Cynici in disputationibus non raro ad convicia atque verbera transire ferebantur, cf. Luc. l. l. *σὺ δέ, ὦ Διόγενες, εἴ ποτε καὶ ἄλλοτε χρῶ τῷ ξύλῳ*; id. Drapet. 15. *ἀρχὴν γὰρ οὐδὲ τὸν ἔλεγχον δέχονται, ἢν ἔρηταί τις* etc., *ἀλλ' εὐθὺς βοῶσι καὶ ἐπὶ τὴν ἀκρόπολιν τὴν ἑαυτῶν ἀναφεύγουσι τὴν λοιδορίαν, καὶ πρόχειρον τὸ ξύλον.*

Tertium denique genus ad fragmenta quaedam parodica attinet, quae maxime Eustathius in commentariis ad Iliadem et Odysseam profert, quae ex carmine parodico sumpta an apophthegmata intellegenda sint, non est manifestum, veluti Eustath. ad *δ* 397 p. 1501, 31: *ἰστέον δὲ ὅτι τε τὸ* (*δ* 384) '*πωλεῖταί τις δεῦρο γέρων ἅλιος*' *τῶν τις ὑστερογενῶν παρῴδησε κατά τινος φαύλου γηραλέου σκωπτικῶς εἰς τὸ* '*γέρων ἄθλιος.*' Similiter ap. Wachsm. sillogr. et Brandt. parod. epic. Gr. rel. sunt quidam versus, de quorum origine certum judicium ferre vix liceat, cf. Wachsm. l. l. p. 49.

I. Index versuum Homericorum qui in apophthegmatis usurpati vel detorti sunt.

II. Index scriptorum apud quos apophthegmata reperiuntur.

Vita.

Natus sum Joannes Teufer Misnae a. d. XIII. Kal. Dec. a. h. s. LXV patre Ernesto Hermanno, matre Hermina e gente Reuteriana, quos ambos adhuc salvos esse gaudeo laetorque. Fidem profiteor evangelicam. Pater, qui Misnae in ecclesia St. Afrae sacerdotis munere fungebatur, cum septimum agerem annum, Bocvam, in vicum prope Cycneam situm, demigravit. Postquam per novem annos gymnasium Cycneense frequentavi, maturitatis testimonium adeptus vere a. LXXXV Lipsiam me contuli, ut philologicis studiis me dederem. Priusquam autem acrius litteris incumbere mihi liceret, Lipsiae stipendia merui in coh. reg. 134. Anno sequente Lipsiae studiis operam navavi Wachsmuthio et Lipsio proseminarii magistris usus. Deinde almam matrem Tubingensem adii, ubi per duo semestria inprimis professores Crusius, Herzog, Kautzsch, Schwabe me docuerunt. Per idem temporis spatium seminario Tubingensi civis ordinarius ascriptus eram. Lipsiam reversus audivi viros doctissimos Franc. Delitzsch, Drobisch, Gardthausen, Heinze, Hildebrand, Lipsius, Maurenbrecher, Ribbeck, Richter, Rohde, Struempell, Wachsmuth, Frid. Zarncke. Seminarii philologici Lipsiensis sodalis ordinarius per annum, seminarii germanici sodalis extraordinarius per sex menses fui. In societates philologicas benigne me receperunt Ribbeck et Wachsmuth, cuius exercitationes item atque Richteri seminarium paedagogicum etiamnunc frequento.

Magistris meis cum omnibus tum Curtio Wachsmuth, qui etiam in hac quaestione instituenda perbenevole me adjuvit, gratias semper habebo quam maximas.